BERNARDINI BALDINI DIALOGI

DVO, IN QVORVM ALTERO
agitur de multitudine rerum, atque de unitate eius quod eſt, in altero uerò de materia omnium diſciplinarum, earumque communione, diuerſitateque diſputatur.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

MEDIOLANI
Apud Antonium de Antonijs.
M D LVIII.

Digitized by Google

BERNARDINVS BALDInus Io. Baptiſtæ Baldino utriuſque iuris conſulto patrueli iucundiſsimo. S. P. D.

SAEpius mihi literis ſignificaſti cupere te inprimis, ut vel omnia, vel aliqua ſaltem opuſcula, quæ ipſe non ſine labore atque vigilijs lucubraui, tandem ederem, vt optatum fructum ex partu noſtri ingenij colligere poſsis: ac te inquis mirari quæ a nobis multo antè conſcripta ſunt commentaria in libellum de ſphæra Procli, atque in cõmunis optices librum, mea incuria nondum prodijſſe in lucem: quinetiam tibi permirum eſſe ais, necdum etiam a nobis depromptum eſſe epiſtolarum librum, in quo plæraque præcepta, cum aliarum artium, tum philoſophiæ potiſsimùm illuſtrare contendimus, præſertim cum non inutilem eum librum hominibus fore intelligas. Nihil verò tibi

optatius eſſe ſcribis, quàm vt ipſe ultimã manum imponam dialogo de materia om nium artium, ipſumque hominibus legendum præbeam ſimul cum altero dialogo, in quo quidem a nobis diſputatum eſt, ſingularene ſit, an in numero multitudinis id quod eſt. Cætera verò opera, quæ a nobis inchoata, nondum perfecta eſſe non ignoras, veluti carmina quædã, quæ recreandi animi cauſa luſimus, ac quæ ex commentarijs Galeni in aphoriſmos Hippocratis problemata excerpſimus, atque Porphyrij iſagogen, categorias, librumque perihermenias Ariſtotelis, quæ quidem opera in Italum idioma vertimus, neque a nobis abſolui, neque proferri in lucẽ admirari te inquis, & quodammodo nos negligentiæ criminæ accu ſas, quòd ea adhuc in obſcuro hominibus eſſe patiamur. Sic tibi perſuadeas velim Baptiſta iucundiſsime, nihil mihi antiquius eſſe, quàm vt tibi ac Barptolomeo fratri, qui eodem quo tu flagrat de-

ſiderio legendarum lucubratiorum noſtra rum, morem geram: vtque quod res eſt ingenuè fatear, cupio equidem edere ac euulgare quæ adhuc in noſtris ſcrinijs latent a nobis conſcripta opera, atque ea gratia ea elaboraui, vt ſapientibus viris pateſierent, atque aliquid fructus vtilitatiſque hominibus afferrent. Verùm ea quidem, vt quæ adhuc rudia atque impolita ſunt, lucem verentur, ac quemadmodum ingenui viri, incompti atque indecenti amictu inuoluti hominũ conſpectum præ verecundia fugiunt, conſimili ratione, noſtra ſcripta, quoniam minùs eleganti minùſque limato ſtylo exarata ſunt, atq; nõ ſatis venuſto verborum ornatu veſtita, potiùs deliteſcere, quàm cunctis oſtentui ludibrioque hominibus eſſe uolunt: quin potiùs nos inſimulare et reprendere videntur, quòd germanum libellum de ratione indagandi & ſpacij quod quis naue traiecerit, & loci, quo perductus ſit, priùs palã fecerimus omnibus, priùs in lucem

emiſerimus, quàm perfecerimus, atque quantùm par eſt expoliuerimus. Cui quidem libello ob id exeundi copiam liberius feci, quod verebar, nequis priùs meũ inuentum ſurriperet, ſibique arrogaret, vt eſt hominum nequitia (nam plæris q; iam palam erat) quàm ipſum ego hominibus in promptu poſuiſſem. Quinetiã flagitantibus id amicis non potui diutiùs negare: maluique incultum atque immaturum opus afferri in lucem, quàm non obtemperare amicis. Ne verò pluris facere amicos exiſtimer quàm fratrem, teque patruelem mihi æquè charum atque alter frater eſt, quemadmodum admonitione rogatuque amicorum eum de quo verba facimus libellum in lucem dedimus, ita vt tibi, ac fratri, aliiſque neceſſariis & affinibus obſequamur, ac rem gratam faciamus, dialogum de vnitate aut numero rerum, ſimul cum hoc, quem vix auſpicati ſumus, dialogo de ſubiectione materiaque diſciplinarum intempeſti-

uè edituri ſumus,ea tamen lege, vt ſiquid a nobis in ſcribendo offenſum fuerit,ipſe atque amici, præſertim Academici viri, quos loquentes facimus, interim ſarciatis, corrigatisque, dum ſecundum dialogum de facultate artium pergo contexere, atque ad exitum perducere: cui cum primùm modum ſtatuero, & ipſum, & cætera noſtra ſcripta, tam quæ peruulgata,quàm quæ adhuc in oculto ſunt,quàm potero diligentiſsimè diſponere, emendare, atque exornare curabo. Quæ quidem ſi vobis memoria digna videbuntur, eis per me licebit exire atque quouis euagari: ſin (quod potiùs pertimeſco) tutiùs atque honeſtiùs ſe abdere, quàm hominibus oſtentare debuerint, ea perpetuo carcere coërcebimus, ac ſempiternis tenebris ſilentioque inuoluemus. Ac licèt tuo & aliorum impulſu celeriùs opinione noſtra hunc libellum ſubiecerim oculis & iudicio grauiſsimorum hominum, tamen eò faciliùs id mihi a vobis perſua-

ſum eſt, quòd cum non deſint inuidi ac maleuoli homines, qui nobis facesſcere negotium nunquam deſiſtant, quique freti authoritate, qua ſe pollere apud ciues noſtros arbitrantur, nos etiam de noſtro gradu dijcere ſtudeant, atque poſthabendos vel imperitiſsimis viris decernant, exiſtimaui eos fortaſſe aliquantulum temperaturos ab ea, quam mihi exhibere moleſtiam non deſinunt, aut ſaltem non tantùm neque tam licenter & temere, tamque nulla habita noſtri ratione meo honori detracturos eſſe, ſi hiſce ſcriptis planiùs ſignificaſſem, quid ſtudio & labore conſecutus ſim, præſertim cum ex eis homines vel mediocriter eruditi faciliùs intelligere poſsint, iudicione animi, an liuore potiùs & maleuolentia importuni hoſtes ſe nobis adeo infenſos moleſtosque præbeant. Ex quibus ſcriptis ſiquid decoris vel tantillum quidem nobis comparatum fuerit, plurimum lucri nos feciſſe arbitrabimur, ac multo plus ade-

pti fuerimus, quàm maleuolentiſsimorum hominum ſententia nobis decernatur. Sed hæc ſatis dicta ſint, ne ſi plura ad ſcripſerimus in hanc ſententiam, pluraq; tecum de moleſtia aduerſariorum cõqueſti fuerimus, tragicum opus, non ingenuarum artium, atque philoſophiæ præcepta conſcripſiſſe videamur. Vale.

Petri Pontanæ carmen ad lectorem.

His adhibe mentem præceptis candide lector:
Nitere & hos ſtudio perdidiciſſe libros:
Qui monſtrant tibi diſsidium, & conſortia rerum,
Vtque deus nectat numine cuncta ſuo,
Quamque facultatem ſibi dogmata ſingula poſcant,
Quoque ea iuncta ſimul, quoque ſoluta modo:
Nil his uberius monitis, nil gratius, atque
Sanctius ulla tibi pagina ferre poteſt.

Digitized by Google

BERNARDINI BALDINI DIALOGVS DE *multitudine rerum atq; unitate eius quod eſt.*

Benedictus Locarnius
& *Ludouicus* Buccaferreus.

Locarnius.

MIHI *hoc nō ſolùm iucunditati fuit, ſed etiam diis auſpicibus et ſecundis contigiſſe arbitror, ut cum publicè interpretarer libros de diuina ſapientia, qui a ſanctiſsimis uiris, iiſque* Chriſtiana *religione imbutis, necnon etiam eos, qui ab* Ariſtotele *philoſophorum omnium ſine controuerſia principe conſcripti ſunt, te* Bononiæ *publicè profitentem, ac libros* Ariſtotelis *de naturali philoſophia exponentem audire potuerim; quo quidem magiſtro utendum mihi theologiæ atque* Ariſtoteleæ *doctrinæ interpreti exiſtimaui: te enim eum eſſe mihi ſemper perſuaſi, qui optimè omnium philoſophorum* Ariſtotelis *præcepta teneas, eaque euoluere & aperire nobis ualeas.* Neq; *me fefellit opinio; nam te duce atque interprete plæraque & ipſe rectè aſſecutus ſum, & diſcipulis meis fideliter tradidi.* Buccaferreus. *Et id mihi iucundiſsimum eſt, quòd cum frequens noſtrum gymnaſium ſit, ac ex omnibus non* Italiæ *ſolùm, ſed totius etiam* Europæ *locis ad nos audientium multitudo confluat, tu noſtris intereſſe ſermo-*

nibus lectionibusque nunquam deſtiteris. Ac, ut quod res eſt dicã, tantùm te uno diſcipulo gloriari ſoleo, quantùm cæteris omnibus: tuque idem mihi es, quem Platoni diuino philoſopho Ariſtotelem fuiſſe traditur, quem Plato tanti faciebat, ut ſine Ariſtotele mutum eſſe gymnaſium dicere conſueuerit. Loc. Cum alijs de cauſis tibi plurimùm debeo, tum maximè quòd cum tot emeriti & laurea inſigniti uiri, ac digni illi quidem qui in Athenienſi Academia audiantur, ſe tibi dociles attentosque auditores aßiduè præbeant, mihi tantùm tribuas, ac tanti me æſtimes, ut nemini poſthabendum cenſeas. Hæc igitur exiſtimatio tua, uel potiùs beneuolentia erga me, perfecit, ut te uel etiam inprimis occupatum multis de rebus ſæpe percontatus ſim, multaque abs te priuatis colloquiis didicerim, eadem beneuolentia erga me tua fretus nunc id, quod mihi perdifficile atque ualde dubium uidetur abs te contendere & requirere in animum induxi: ſi tamen tibi ocium eſſe, & minimè moleſtam grauemque tibi futuram interrogationem noſtram ſenſero. Bucc. Nihil mihi gratius accidere poteſt hac interrogatione tua: nam nihil, niſi quod ſcitu memoratuque dignum ſit, abs te proponi & peti ſolere, quæ bonitas ingenij tui eſt, certò ſcio: fitque ſæpius, ut incertum mihi ſit, plus ne ego tibi fructus reſpondendo, quàm tu mihi rogando afferre conſueueris. Illud ſat ſcio, noſtra colloquia mihi & fructuoſißima et iucundißima ſemper fuiſſe. Quare quod iamdudum parturis, iam liberiùs parere potes: fare igitur quid ſit id, quod a me ſcire cupis. Loc. Cum primum librum phyſicorum Ariſtotelis enodares interpretarerisq́; Parmenidis, Melißi, atque Platonis ſententiam explodendam eſſe

aiebas, quòd ij omnia quæ ſunt, ſingulare atque unum quid eſſe exiſtimarunt, atque Ariſtoteli *accedendum aſſentiendumque eſſe affirmabas, qui non ſingulare ſolitariumque eſſe id quod eſt, ſed multitudinem eſſe earum rerum quæ ſunt ſumma contentione conuincere & probare nititur.* Ego *uerò, licet &* Ariſtotelicas *& tuas rationes, quibus propoſitum* Ariſtotelis *confirmabas, acceperim, tamen potiùs* Platoni, *atque adeo ijs qui ſanctißimam* Chriſtianamque *religionem colunt, a quibus* Plato *minùs dißidet, quàm* Ariſtoteli *nos aſtipulari debere arbitror.* Bucc. Theologi, *in quibus te ſummopere ſplendere, quorumque dogmata optimè ſapere cenſeo,* Platonem *cæteris philoſophis anteferre non dubitant, propterea quòd is plæraque conſcripſit, quæ noſtræ fidei conſentanea ſunt, aptißiméque congruunt: haud igitur mirum, ſi & tibi ipſi, cui ſummam in theologia tribui debere mea ſententia ſtatuo, rectiùs* Plato *quàm* Ariſtoteles *id quod eſt proprijs limitibus finiſſe uidetur.* Id *tamen te non ignorare uelim, non immeritò ab* Ariſtotele *inſimulatum repreheuſumque eſſe* Platonem. Loc. Dic *amabò, theologos mentiri, an uera loqui exiſtimas?* Bucc. Imo *uerò nihil uerius theologicis inſtitutionibus præceptionibusque eſſe dijudico.* Loc. At Plato *cum theologis ſentit, ut tute ipſe modò dixiſti: quare ex ijs etiam, quæ abs te memorata ſunt, conuincitur* Platonem *uera locutum eſſe, neque non tradidiſſe litterarum monumentis præcepta digna quibus fides habeatur.* Bucc. Scito *me in hac eſſe ſententia, ut ſæpius uoce teſtatus ſum,* Platoni *cum theologis quibusdā de rebus conuenire, neque tamen inde colligendum eſt, me ex hac eſſe ſententia, ut quæcunque a* Platone *nobis tra-*

dita ſunt, a theologis confirmata ſancitaque eſſe putem: quin potiùs, ut noſtri animi ſententiam planiùs aperiam, plærisque in rebus a diuinis theologis diuinum Platonem *diſcrepare opinor.* Loc. *Quid conueniat* Platoni *cum theologis, quidque inter eos minùs conueniat, nunc quærere ſuperſedebimus.* Id *mihi nunc in uotis atque in optatis eſt, ſcire rectene & ſapienter* Plato *unum eſſe id quod eſt ſtatuerit, ſiue probent ſiue improbent* Platonis *ſcripta ij qui theologiam profitentur: tametſi non falſum fuiſſe* Platonem *philoſophum, ſacrorũ librorum teſtimonio ſatis probare poſſem.* Bucc. *Ego uerò* Platonem *erraſſe opinor, neque tamen ob id meam opinionem diuinis ſcriptis aduerſam eſſe conceſſerim. Tu uerò quibus argumentis* Ariſtotelis *dicta refellas &* Platonis *ſententiam defendas, expone.* Loc. Id *eſſe duntaxat, quod re uera, certoque actu exiſtit, ſcitè exiſtimauit* Plato *uir ſapientißimus: iam uerò nihil reperire eſt, quod re ipſa certoq; actu ſit, præter* Deum *opt. max. qui ſingularis atque unicus exiſtit, igitur ſingulare eſſe id quod eſt iure merito arbitratus eſt* Plato: *quare falsò inſimulatus accuſatusque eſt ab* Ariſtotele Plato *optimus ipſius* Ariſtotelis *præceptor, ut illud taceam, magnam ingrati animi ſignificationem apparere in* Ariſtotele, *qui quem maximè omnium ſarctum tectumque ſeruare ab omni obtrectatorum morſu & calumnia magiſtrum ſuum debuit, a quo doctrinam omnem, atque omnia quæ tenuit, præcepta, didicit, non ſolùm non defendit, ſed etiam ultro inſectatus eſt, quodque ferendũ non eſt, falsò etiam arguit & accuſauit.* Itaque, *quemadmodum ipſe* Platonem *tanquam & ſapientißimum & rectè de* Deo *ſentientem inprimis celebrandum ac maxi-*

mis laudibus extollendum cenſeo, ita Ariſtotelem tanquam & inſcitum, & non modò Platoni, ſed etiam Deo opt. *ingratum ſummopere improbandum eſſe dijudico.* Bucc. *Maius opinione mea mihi ſubeundum eſt onus: cum enim ſuſpicarer ſuſcipiendam mihi* Ariſtotelis *cauſam, atque pro eo dicendum contra hoſce homines, qui ipſum inſcitia notant, nunc ſentio etiam mihi decertandum cum ijs eſſe, qui eum improbitatis crimine onerant, cumque eo hoſtiliter agunt. Sed tamen, ne in idem ipſe uitium incidam, quod abs te atque a compluribus alijs obijci* Ariſtoteli *quotidie audio, hoc eſt ne non eius cauſam ſuſcepiſſe dicar, cui quicquid certò ſcio acceptum refero, neue ingrati animi crimine condemner, pro uirili mea agam cauſam* Ariſtotelis *philoſophi omnium mea quidem ſententia ſapientiſsimi, ac moribus uitaque probatiſsimi: atque in ſpem uenio fore, ut immunem eum omni culpa & uitio facilè præſtem: neque enim difficilè eſt innocentes iuſtosque homines tegere; quandoquidem ipſa ſe, nullo etiam defenſore adiuta, uirtus & probitas tuetur. Sed iam ad crimina, quæ ipſe* Ariſtoteli *obiectas, ſermonem referamus. Dic obſecro, ueritatemne amicitiæ, an amicitiam ueritati anteferendam exiſtimas?* Loc. *Ego ueritatem cunctis rebus ſemper præferendam eſſe duxi.* Bucc. *An cauſam reddere potes, quare nihil antiquius prætioſiusque ueritate ducas?* Loc. *Quidni? nam ſi ueritatem adimas, et amicitiã, & iuſtitiam, ac cæteras uirtutes omneis, quæ ſine ueritate nullæ ſunt, e medio tollas interimasq; neceſſe eſt. Huc accedit, quòd immortalis* Deus, *idipſum quod ueritas exiſtit, ut ipſe diuinitus retulit: ergo qui ueritatẽ nobis adimit, idem* Deum, *quo nihil præſtantius meliusque excogi-*

tari poteſt, nobis eripit atque aufert. Bucc. *Rectè ſentis: ſiquis igitur pluris uerùm facit quàm amicum quendam, aut præceptorem, aut etiam parentem, non inſcium, nõ beneficij immemorem, nõ improbũ eum eſſe ob eam cauſam exiſtimas.* Loc. *Ita eſt.* Bucc. *Non igitur ignarus, non immemor officij aut improbus* Ariſtoteles *fuit, qui pluris ueritatem quàm* Platonem *&* Socratem *a ſe fieri in libris de moribus ſcripſit, quique illuſtrandæ ueritatis cauſa* Platonem *reliquosque antiquiores philoſophos in errore fuiſſe ſæpenumero oſtendit.* Loc. *Hoc eſt de quo præcipuè diſceptandum inter nos arbitror, uter ſcilicet rectiùs ueriùsque locutus ſit* Ariſtotelesne *an* Plato *diuinus philoſophus, quem nos uera laudandaque oratione ſingulare ſolitariumque eſſe id quod eſt affirmaſſe ſupra docuimus, ut turpißimè peccaſſe,* Ariſtotelem *appareat, qui* Platoni *præceptori hac in re ſe aduerſum præbuerit.* Bucc. *Si igitur prudentiùs ueriùsque locutum eſſe* Ariſtotelem, *qui plura numeroſaque eſſe ea quæ ſunt, memorauit, quàm* Platonem, *qui ſingulare id quod eſt eſſe aſſeuerauit, docuero, ſimul & ab inſcitiæ nota* Ariſtotelem *uindicauero, eò quòd ſapientißimè locutum apparebit, & ingrati atq; nequam animi crimine immunem tectumque præſtitero, propterea quòd ueritatis ſtudioſum amantißimumq; fuiſſe ipſum patebit.* Loc. *Ita res eſt.* Bucc. *Danda igitur mihi opera eſt, ut ueriùs* Ariſtotelem *quàm* Platonem *& ſenſiſſe & diſputaſſe probem, id quod ſtudioſè facturus ſum, ut &* Ariſtotelem *immeritò accuſatum eſſe conſtet, & unico hoc negotio meipſum duplici onere leuem.*

Ac primò, quoniam ipſe omnia re uera unum eſſe inquis, eò quòd nihil præter Deum *immortalem, qui ſingularis*

eſt,

eſt, re ipſa certoque actu eſſe tenendum eſt; illud a te ſcire cupio, hominem eſſe, annon eſſe arbitraris? Loc. *Eſſe hominem fateor.* Bucc. *Equum, bouemque eſſe concedis?* Loc. *Hoc itidem concedo.* Bucc. *An eundem eſſe hominem equo & boui, uel diuerſum ab ijs opinaris?* Loc. *Vnum equidem hæc quæ ais, cæteraque omnia eſſe ſtatuo.* Bucc. *Igitur idem eſt homini equus & bos.* Loc. *Idem profectò eſt.* Bucc. *Homo igitur equus & bos eſt, quam quidem ſententiam adeo futilem inanemque eſſe Ariſtoteles ait primo libro phyſicorum, ubi in Heraclitum inuehitur, ut etiam indignam cui refragemur eam eſſe dixerit, ſi Simplicio ſedulo Ariſtotelis interpreti fidem adhibemus.* Loc. *Haud mihi quidem mirum uidetur, Ariſtotelem, qui cum Platone male egit, quo magiſtro uſus erat, etiam Heraclito aduerſari.* Bucc. *Eſto, miſſum faciamus Ariſtotelem, quando ipſum improbitatis crimine condemnas. Dum eundem hominem belluis eſſe aſſeueras, id pronuncias, quod ne pueri quidem affirmare auſint neque ferant. Nemo enim eſt, qui cum ſe alicuius belluæ nomine uocari ſentit, non id iniquiſsimo animo ferat, ac ſibi inferri iniuriam exiſtimet: multi etiam ſimul luctantur, ac manus conſerunt cum ijs, a quibus ſe belluas appellari audierunt.* Loc. *Haud equidem iudico res puerorum aut uulgi exiſtimatione perpendendas eſſe, ſed in eruditiorum probatiorumque hominum iudicium lites deduci oportere cenſeo.* Bucc. *Plato, quo nullum præſtantiorem philoſophum unquam fuiſſe opinaris, affirmat, hominum animas, quæ e corporibus exceſſerint, cum in corpora iterum redeunt, uaria pro meritis criminibusque rurſus ſibi aſſumere corpora: nam eas quæ ſontes pluribusque uitijs inqui-*

natæ ſunt, belluarum corpora induere, quæ honeſtiùs ſanctiusque uitam traduxere, in egregiorum hominum uel beroum potiùs corpora remigrare ait: ex quibus planè conſtat, Platonem pro nihilo ducere & aſpernari belluas, tanquã uitiata obſcœnaq; anima calentes: contra ſapientes uiros tanquã ſemideos ſuſpicere & admirari. Ex ijs *patet etiam a* Platone *homines a brutis ſeiunctos eſſe, atq;, ut uno uerbo me expediam, omnes claßici ſcriptores pecora tanquam uentri prona & obedientia eſſe ſtatuunt, homines uerò ad contemplandas diuinas res a natura comparatos eſſe teſtantur: ut magno diſtare ea interuallo haud dubiè affirment.* Sed quid opus eſt *teſtimonio probatiorum uirorum? cum res adeo perſpicua ſit, ut probatione non egeat.* Loc. Haud *equidem ignoro, & ab eruditißimis quibusque, & a diuino* Platone*, atque etiam a theologis, homines a belluis diſcretos eſſe, neque tamen ſapientes uiri negant homines belluasque uni ſe generi quod animal eſt ſubijcere, atque hoc pacto ſimul coaleſcere, atque in unicam naturam conuenire; quatenus a ſingulari genere continentur, id quod ex pluribus ſcriptis* Ariſtotelis *etiam colligere poßumus.* Bucc. Multa *quidem formis ſeiuncta diuerſaque eſſe ſignificas, quæ genere aut materia ſimul conueniunt, atque hoc mihi quidem haud dubium eſt: ſed tamen, cum & eædem, & diuerſæ diſtintæque res inter ſe ſint, cur non perinde pro multiplici uariaque forma multiplices differentesque res ipſas eſſe memoras, atque ex ſimplici genere, communiq; earum rerum materia, ſingulare eſſe id quod eſt, atque omnia in unum uenire & colligi affirmas?* Loc. Quia *præſtat, ut* Plato *ait, ad unitatem res arceſcere & reuoca-*

re, quàm in numerum diffundere & dilatare, præſertim cum iunctura atque unitas perpetuæ rerum uitæ conſeruationisque cauſa ſit, atque iccirco etiam, ut uerius res ſint, efficiat, numerus uerò corruptelam diſsidiumque rebus pariat, itaque perficiat potiùs ne ſint, quàm ut re uera res exiſtant: quare id quod eſt unitate potiùs quàm multitudine æſtimare debemus, præſertim ſi ſimul in eis & unitas & multitudo ineſſe appareat, id quod tute pauloante affirmaſti, quodque a Peripateticis *cunctis etiam ſancitum eſt.* Bucc. *Ex ijs quæ abs te memorata ſunt, res potiùs a materia quàm a forma id quod ſunt traxiſſe conſtat: cum tamen forma non tantum* Ariſtotelis *uerumetiam* Platonis *teſtimonio & re uera ſit, & ut res exiſtant, utque diutiùs permaneant, præcipua cauſa ſit; materia uero, utpote recentium formarum ſemper appetens, nouosque induere habitus pro uiribus contendens, interitum ſemper rebus moliatur, neque nunquam eas diſſoluere & perdere conetur: quare efficitur, ut genus ipſum, ſiue materia, qua in unum genitæ res coguntur, eis rebus exitio ſit, & earum naturæ, uel ſtatui ruinam omnino machinetur.* Loc. *Quòd materia res diſſoluat atque interimat, propterea quia omnium formarum ſatietate & faſtidio tenetur, ad alias atque alias ſemper anhelans formas, equidem confiteor, quandoquidem ita ſentire non ſolùm* Ariſtotelem, *ſed etiam* Platonem *non ignoro. Quòd autem genus, quod rerum copulam uel communionem potiùs eſſe exiſtimamus, res non ſeruet, & ſuſtineat, id equidem inficiari auſim, tantùm abeſt, ut genus excidij & internicionis rerum cauſam eſſe putem. Ac licèt pro eodem genus & ma-*

teriam accipere tibi uiſus ſim, tamen in eum ſenſum accipienda ſunt ea quæ diximus, in quem ſenſum intelliguntur, quæ Porphyrius *de ſocietate conſenſioneque eorum ſcripſit: ut ſcilicet, quemadmodum materia ad formam referri ſolet, ita genus ad differentiam ſpectet: inquit enim, quemadmodum res ex materia & forma coagmentatæ compoſitæque ſunt, ita rerum ſpecies ex genere, quod proportione ac ſimilitudine quadam materiæ reſpondet, ac differentia, quæ conſimilis formæ eſt, conſtat compoſitaque eſt.* Nec *tamen iccirco affirmandum eſt, ita ſpecies rerum a genere tolli & corrumpi, quemadmodum ſingulares res a materia deſtruuntur diſſoluunturque: quin potiùs ſpecies a genere ſuſcipiuntur, pariunturque, nedum tolluntur, ut idem author eſt* Porphyrius. Bucc. Non *tu materiam pariter & genus in cauſa eſſe aiebas, quamobrem res ſimul coirent atque in unum redigerentur?* Porrò *quæ res copulæ iunctioniſque aliarum rerum cauſa ſunt, etiam aſſeruandarum atque ab interitu tuendarum earundem rerum cauſa exiſtunt, id quod tute ipſe ſupra memorabas.* Itaque *conuincitur etiã ex tuis dictis, materiam non ſecus ac genus ſeruandarum rerum cauſam exiſtere, quemadmodum etiam earum iunctura & copulæ utraque principia ſunt.* Loc. Genus *quidem ſemper res in unum colligit, ut* Porphyrius *inquit, materia uerò quatenus ſimilitudine quadam generi reſpondet, ac quatenus ſe communem rebus omnibus præbet, hoc pacto inſtar generis res omnes ſimul copulare atque cogere in unum perhibetur, minùs tamen propriè conglutinare atque contrahere in unicam naturam res formis diſtinctas materia dicitur, quòd potiùs nulla unquam con-*

tenta forma res ipſas forma præditas atque inſtructas diſ ſipare atque in partes diuellere & diſſoluere conatur. Hæc una, ut breuibus me expediam, in materia deprehenditur rerum iunctura, communis ſcilicet ipſius natura, qua ſeſe cunctis rebus impertitur, genus uerò non ſolùm commune eſt rerum, quæ formis diuerſæ ſunt, uerumetiam res ipſas conglutinat, ac ueluti certo uinculo disiunctas eas nectit, propriaque forma illigat. Bucc. *Id mihi oratione tua ſignificare uiſus es, quod Scotus uir accerrimi ingenij in quæſtionibus in iſagogen* Porphyrij *tradidit, qui inquit totam generis naturam de tota integraque ſpecie dici, ut certam ueramque ſententiam a nobis proferri uelit, cum ſubiectæ in pronunciato ſpeciei genus adiectum fuerit, adeo ut ex ſpecie, genere, & copula, nos certam ueramque propoſitionem contexere & conſtruere poſſe cenſeat. Cæterùm materiam haud ſanè de uniuerſa atque integra ſpecie enunciari ait, ideoque incongruam, atque uitioſam, falſamque orationem hanc eſſe contendit, quæ ſubiectam ſpeciem, materiam uerò tanquam appellationem adiectam retinet: neque enim recipiendam hanc orationem ipſe ſcitè arbitratur,* Homo *eſt materia, uel corpus, quemadmodum ueram conguentemque hanc ſententiam probè iudicat,* Homo *eſt animal.* Hunc *equidem eſſe tuæ orationis ſenſum exiſtimo.* Loc. *Rectè putas.* Bucc. *Itaque quatenus res eiusdem generis participes ſunt, ſimul coaleſcere atque in unum conuenire eas opinaris: quia uniuerſum id, quod in genere eſt, ſingula quæque ſpecies ſortita eſt, genusque ipſum de uniuerſis ac ſingulis iiſque integris ſpeciebus, ut ita dicam, enunciatur. Ac licet ex æquo etiam materiæ participes res ſint, quia ta-*

men materia haudquaquam de ijs rebus dicitur, neque res ipſæ idipſum eſſe, quod materia memorantur, icircro arctiùs eſſe amicitiæ atque ſocietatis uinculum, quo res ſimul uinciuntur iunguntur que, in genere, quàm in materia opinaris. Loc. *Rem tenes.* Bucc. *Quoniam igitur complures res eiusdem generis naturam ſapiunt, ideo id quod eſt ſingulare eſſe colligis: uerùm hoc conſectarium mihi minimè probatur.* Loc. *Quid ita?* Bucc. *Nam & ſi cum pluribus rebus unica generis natura communicata ſit, non tamen uniuerſæ res eidem ſe generi ſubijciunt: ſiquidem decem numero eſſe ſuprema rerum genera authoritate* Ariſtotelis *tenendum eſt. Quare etiam ex ijs quæ abs te relata ſunt facilè conuinceris, necnon pugnantia dicis.* Loc. *Ita fortaſſe tibi uideor: uerùm ipſe neque me falsò loqui, neque mihi non conſtare opinor. Tu uerò uelim me facias certiorem, & de erratis noſtris, & de inconſtantia, quam ego tibi præ me ferre uideor. Nibil enim mihi gratius facere poteris, quàm ſi me & errati admonueris, & uerum quod abditum tectumque eſt, mihi ante oculos poſueris.* Bucc. *Equidem te de ijs rebus, quæ mihi dubiæ ſunt, potiùs percontabor, non ut te uerum, quod neſcio an ipſe aſſecutus ſim, doceam, ſed potiùs ut hac diſceptatione noſtra ueritas eruatur, ac palàm utrique noſtrum fiat. Neque enim neſcis, quantum lucis afferant quæſtiones hominibus, id quod nos præclarè docet* Ariſtoteles*, tum aliàs, tum maximè tertio libro de diuina ſapientia.* Socrates *quoque apud* Platonem *ſe fungi obſtetricis munere aiebat, qui ſcilicet interrogando id plærunque agebat, ut homines rogati ueritatem parerent, atque in lucem ederent. Itaque ut ueritas nobis*

illuſtretur, libentiſſimè te rogabo, tanquam ex noſtro congreſſu id quod nobis in obſcuro eſt faciliùs cogniturus. Loc. *Agè igitur, ſiquid eſt quod à me uelis, abiecta omni cunctatione require, ut uterque noſtrum quamprimum uoti compos fiat.* Bucc. *Homines belluaſque unũ ac ſingulare quid eſſe narrabas, eò quia unicum genus, utputa animal, de uniuerſis ijs æquabiliter dicitur, communeque eſt eorum omnium.* Loc. *Id à me pronunciatum eſt, atque idem mihi tecũ conuenire arbitror; quandoquidem in eadem ſententia* Ammonius, Boëtius, *ac denique omnes* Peripatetici *ſunt.* Bucc. *Hinc colligebas omnia in unum adduci & colligi, atque idipſum, quo res ſimul conſentiunt conueniunque ſingulare eſſe, quam ſequelam infirmam ac uitioſam eſſe diximus.* Loc. *Hoc te probare æquum eſt.* Bucc. *Nihil mihi facilius eſt: non modo cum belluis, uerumetiam cum ſtirpibus, atque etiam cum rebus ijs quæ inanimes ſunt, quod genus ſunt metalla, lapides, elementa, cumque reliquis rebus omnibus, quæ ex ſe conſiſtunt ac proprijs radicibus innituntur, homines conueniunt: quandoquidem quæ à græcis* ὀυσία, *à noſtris ſubſtantia nuncupatur, ſe communem his rebus omnibus præbet, ſiue eæ uigeant anima, ſiue uitæ exortes ſint: quid tamen rei hominibus ſit cum lineis, cum coloribus, cum ijs rebus quæ ad aliud ſpectant referunturque, quidque ſocietatis affinitatiſque cum alijs rerum generibus humanum genus contraxerit, non uideo, neque ullum commune genus intueor, quod ſe cum hiſce rebus ex æquo communicet. Itaque ex ijs quæ ipſe memoraſti, decem ſaltem numero ſunt, quæ re uera eſſe feruntur; nam totidem*

eſſe ſumma rerum genera Ariſtotelis, Porphyrij, aliorumque eruditiſsimorū uirorum teſtimonio perſpicuum eſt. Loc. Atqui rerum ſocietatem non modò certæ cuiusdam appellationis prædicamentiue natura indicat, uerumetiā idipſum quod eſt, quod unicum ſupremumque rerum omnium genus eſt: quemadmodum enim quæ conſiſtunt res, ſocietatem coierunt inter ſe, atque in unum uenere, quatenus ſubſtantiæ participes ſunt, ita quæcunque res ſunt, ſiue ſibi ipſis annitantur, ſiue alienis ſuffultæ radicibus ſint, atque ſubſtantiæ adhæreſcant, cuiusmodi ſunt quæ a reliquis generibus rerum capiuntur, quatenus ſunt, in unam ſingularemque naturam reuocantur: atque hoc pacto ſingulare eſt, atq; in ſolitudinem uocatur idipſum quod eſt, omniaque hoc ipſum quod eſt, ſunt: quare efficitur, ut neutiquam plures numeroſæque res ſint ſed potiùs ſingulare ſit id quod eſt, ueluti ſingulare id genus exiſtit quod ſubſtantia nuncupatur. Bucc. Quemadmodum unū quid eſſe id quod eſt ſtatuas, nunc demum mihi uideor aſſecutus, ſed, ut quod res eſt dicam, nunquam adduci poteram, ut crederem te iſtæc dicturum eſſe, præſertim qui Scotum authorem ſequaris, eiusque præcepta & ipſe cumulatè conſecutus ſis, & eos qui ſe diui Franciſci imitatores ſtudioſosque profitentur accuratiſsimè doceas. Loc. Quorſum hæc? aut quid iſtuc admiraris? Bucc. Rogas? an fortè te latet quid Scotus de affinitate iunctioneque rerum locutus ſit? quemadmodumque id quod eſt de eis dici poſſe ſtatuerit? Loc. Id quod eſt, ex Scoti uiri alioquin eruditiſsimi ſententia omonymum, uel, ut hoc uerbo utar, æquiuocum nomen eſt, atque ὁμωνύμως ſiue æquiuocè de ſummis rerum generibus ac de uniuerſis rebus, teſte

etiam Porphyrio, dicitur. Bucc. Commodè atque opportunè & Scoti & Porphyrij authoritatem adduxiſti, ita tamen ut minimè circumſpectus fuiſſe, parùmque proſpexiſſe rationibus tuis uidearis. Loc. Qui iſtuc inquis? Bucc. Aures atque animum meis uerbis adhibe, ex quibus quàm parùm prouidus fueris facilè perſpicies. Porphyrius negat id quod eſt cõmune eſſe rerum omniũ genus, ſed quæ ſunt ſuprema genera ad denariũ numerũ exceſſiſſe in ſententiam Ariſtotelis teſtatus eſt: idque hac ratione probat, quòd ea ipſa genera συνωνύμως, hoc eſt, & nomine et ratione de ſubiectis rebus dicuntur, cæterùm id quòd eſt ὁμωνύμως, hoc eſt uoce duntaxat, de quibusque rebus affirmatur: ex quibus colligimus, res cunctas ab eo quod eſt, quod græci τὸ ὄν uocant, tantummodo commune nomen mutuari, ſecus minimè conuenire inter ſe. Quid uerò Scotus de hac re diſſeruerit, quid attinet dicere? præſertim cum ipſe optimè omnium ſcias, quàm ſtudioſè, quantaque animi contentione is omonymum eſſe id ipſum quod eſt probauerit, adeo ut etiam Auerroi ſtrenuè aduerſatus ſit, eiusque ac cæterorum omnium rationes, qui analogum id quod eſt eſſe aiebant, diluere tentarit. Loc. Scotus in quarta quæſtione in librum categoriarum Ariſtotelis inquit id quod eſt a logicis, pariter & a phyſicis metaphyſicisque excogitari, quatenus tamen idipſum a logicis ſpectatur, uox quidem omonyma eſt, inquit, quæ complura æqualibiter ac pari poteſtate ſignificat; prout uerò idem ipſum a phyſicis metaphyſicisque animaduertitur, qui res non nomina animo retractant, id quod eſt analogum exiſtit, propterea quòd quæ res ea ipſa uoce ſignificantur, quatenus ſunt, ordine quodam ſunt diſtri-

butæ, adeo ut ſubſtantia anteeat aduentitias fortuitasque res quæ accidentia nuncupantur, atque in hanc ſententiam ab Ariſtotele acceptum eſſe id quod eſt aſſeuerauit Scotus idem uir ſapientiſsimus: Porphyrius uerò id quod eſt quemadmodum logici, accepit, atque ea re ipſum omonymum eſſe contendit: ſiquidem ad eius nomen, prout eo res adſignificantur, animũ aduertit atq; adhibuit: quapropter apud Porphyrium id quod eſt primaria ratione et pari ſignificatione tam ſubſtantiam quàm eas quæ ſubſtantiæ obtingunt atq; accidunt res indicat. Bucc. Scitè admodum Scoti uiri undequaq; eruditiſsimi ſententiã expoſuiſti, idq; quod eſt eius uiri iudicio aliàs omonymum eſſe, cum ſcilicet a logicis ſpectatur, aliàs analogum, cum a phyſicis atq; a diuinis philoſophis excogitatur, eſſe docuiſti: atque id quod eſt ipſe unum eſſe dijudicas, non quatenus omonymum eſt, quatenusq; in eo logici uerſantur, ſed potiùs ut analogum exiſtit, utq; res ipſa dictione ſignificata eſt, de qua quidem re philoſophi cogitare ſolent. Loc. De rebus non de nominibus nos colloqui inter nos arbitror, quare potiùs ut analogum quàm ut omonymum id quod eſt a nobis tractari opinor: mihi certè de rebus ipſis ſermo eſt, idq; prædico tibi, ut ſis ſciens, quemadmodum mecum agere, ac qua de re diſſerere debeas. Tu tamen perge quod tibi in animo eſt dicere. Bucc. Mihi tecum animo & ſententijs, non uerbis diſceptare animus eſt; priùs itaque analogiæ ſignificationes, quæ a Scoto in ea ipſa quam tu memoraſti, quæſtione expoſitæ ſunt, nobis recitare propoſitum eſt; ſic enim haud dubiè intelligere poterimus, an id quod eſt analogum ſit, quod quidem eſſe haud inficior: poſtea ſpectandum nobis erit, an idipſum quod eſt, ita com-

mune omnium rerum ſit, eò quia analogum eſt, ut omnia quæcunq; ſunt idipſum ſint, ac ſingulare quid exiſtant. Hunc tenere nos ordinem oportere exiſtimo, ut id quod ueſtigamus, inueſtigare, quodque ſequimur, aſſequi ualeamus; quem quidem ordinem ſequemur, ſi tuo id conſenſu tuaque approbatione nobis permiſſum eſſe intelligemus.

Loc. *Ego uerò tibi ualde aſſentior, ac tuum conſilium mirificè probo, atque hoc calle qua iter facere inſtituiſti, ut ad metam peruenias, tibi nauiter eundum eſſe ſtatuo, ſi mihi hoc uerbo per te uti licet.* Bucc. *Quando tibi ſic quoque faciendum eſſe uidetur, idque nobis modeſtè præcipis, quem inſtituimus ordinem libentiùs ſtudioſiùsque ſeruabimus. Tribus modis, inquit Scotus, analoga uox ſumitur, primo quidem cum primariam rationem eamque unicam deſignat, quæ tamen ad geminas pluresque res uariè accommodatur, quemadmodum hæc dictio, cauſa, atque hæc uox, principium, quarum quidem dictionum ſingularum unica ac ſingularis quædam ratio eſt, quam ſanè rationem uarijs modis analogæ res ſumunt: aliter analogia alicuius nominis ui & poteſtate nititur, quo quidem nomine primùm certa quædam res, deinde uerò alia res ſignificatur: id uerò cauſæ eſt, quòd intellectionem perceptionemq; uocis, eiusdem uocis ſignificatio ſubſequitur. Cum igitur geminæ res eadem dictione notatæ fuerint, quarum altera priùs animo obuerſetur, altera uerò ſeriùs; quemadmodum ſuperior res priùs animo percepta, ita etiam uoce ſignificata eſt: ac ueluti res altera poſteriùs animo collecta eſt, ita & uerbo dictioneq; notata expreſſaq; eſt. Poſtremo analogia ſumitur, ueluti cũ nomen cuipiã rei propriè inditũ eſt, deinde ad aliarũ rerũ ſignificatũ*

trahitur: ſiqua tamen imagine & ſimilitudine res ipſæ ſecundo loco notatæ huic rei reſpondeant, quæ res propriè ea dictione atque eo uocabulo explicata eſt. Habes *analogiæ poteſtates & ſignificationes, habes* Scotum *locupletiſſimum teſtem earundem analogæ uocis ſignificationum.* Ex *ijs facilè colligere poſſumus id quod eſt analogum eſſe, ac poſtremum analogiæ ſignificatum ad ipſum quod eſt accommodari: ſiquidem eo nomine primum, ac propriè ſubſtantiam, utpote quæ uera, non itẽ adumbrata res eſt, ſignificari perſpicuum eſt: deinde quæ accidentia nominantur, quatenus ad ſubſtantiam referuntur; hac enim ratione ſunt id quod eſt, ut* Auerroës *in commentariis in ſeptimum librum metaphyſicæ ſapientiæ* Ariſtotelis *dilucidè oſtendit, cuius quidem uiri ſententiam barbaris uerbis inuolutam impeditamque qua poterimus luce & perſpicuitate orationis illuſtrare conabimur, ut nullo negotio eam noſtræ quadrare opinioni perſpicias.* Loc. *Etſi quid ſentiat de hac re* Auerroës *me minimè præterit, tamen mihi haud moleſtũ erit eius præclariſſimi ſcientiſſimiq; uiri opinionẽ abs te clariùs cognoſcere, præſertim cũ eam et tuo congruentẽ iudicio, et minùs alienam a noſtro inſtituto eſſe memores.* Bucc. Auerroës *cum eliceret ſenſum cuiusdam* Ariſtoteleæ *orationis, inquit,* Commonſtratum *eſt id quod eſt de decem ſummis rerum generibus affirmari, magis uerò idoneè & condignè de ſubſtantia dici: pauloante idẽ* Auerroës *ait, id quod eſt primum quidem, ac ſimpliciter ſubſtantiam notat: ſecundo uerò loco ac contentione collationeque facta cum ſubſtantia, idem ipſum quod eſt cætera genera fluctuantiũ atque incidentium in ſubſtantiam rerum adſignificat, quæ quidem ea de cauſa dunta-*

xat eſſe feruntur, quia in id quod eſt, hoc eſt in ſubſtantiam cadunt. Ex hac Auerrois *oratione concludere nobis licet, quam poſtremo loco recitauimus analogiæ ſignificationem ad id quod eſt commodè aptari poſſe; ſiquidem proprie eo nomine ſubſtantia cenſetur: deinde uerò accidentia, eò quia ſimilitudine quadam ad ſubſtantiam referuntur.* Loc. I*dem mihi uidetur.* Bucc. Q*uod cum ita ſit, ſequitur minimè omnia in unam naturam adduci, neque ſingulare id quod eſt eſſe.* Loc. T*uum eſt oſtendere qui id ſequatur, quemadmodumque ex ijs de quibus inter nos conuenit, hoc neceſſariò concludendum ſit.* Bucc. T*ribus modis unum idemque dicitur, aut enim quod indiuiduum ueriùsque in numero unitatis eſt, unum perhibetur, aut ſi etiam res numeroſæ ſint, modo eandem formam ſpeciemque ſortitæ ſint, cunctæ una eademque res eſſe ſpecie traduntur; aut licet etiam multiplices uariæque ſint rerũ formæ, dum cohæredes ſimulque participes eiusdem generis ex æquo uniuerſæ res factæ ſint, ab unitate generis ductæ, atque originem trahentes, una eademque res genere omnes eſſe feruntur.* H*æc tripartitò diſtributa rerũ unitas, uel triplex ratio unitatis, tradita eſt litterarum monumentis ab* Ammonio, *itemque a* Seuerino Boëtio *in commentarijs, quæ uterque in iſagogen* Porphyrij *compoſuit.* E*adem unitatis rerum partitio alios quoque idoneos teſtes habet* (*osque non obſcuros philoſophos, quorum nomina nunc recenſere ſuperſedebimus, præſertim cum tute eorum ſcriptorum uolumina noctes dieſque uerſaris lectitariſque, & fortaſſe etiã eos authores recipiendos ducas.* Loc. A*n ego non admiſerim clariſsimorum uirorum authoritatem? qui quidem hodie ſummo in honore haben-*

tur, atq; incredibili coluntur obſeruantia, quibusq; omnes ſapientiſsimi uiri tantùm tribuunt, ut nemo uel eruditiſsimus uir non deſipere uideatur, qui eorum aliquem improbare auſit: itaq; et teſtes & eorum teſtificationes ſcripta que mihi maximopere probantur. Bucc. *At ſi eos ſequamur authores, quorum ueſtigia nobis profectò imitanda ſunt, quorumq; authoritati, uel etiam probante te, acquieſcere debemus, id quod eſt, neq; genere, neq; ſpecie, neq; indiuiduæ rei ſimplicitate unum exiſtit: non igitur unum eſſe ſtatuendum eſt.* Loc. *Quid prohibet, quominus ſingulare genus ſit id quod eſt? resque omnes, quatenus idipſum ſunt, in unicam ſimplicemque generis naturam deductæ redactæque ſint?* Bucc. *Licèt id quod eſt ſingulare genus eſſet, ut ipſe ſignificas, tamen forent etiam per multa numero ea quæ ſunt. Sed tamen demus unitatē propriè generis eſſe (reſpondendum enim eſt ad rogata) ſi genus ſe ſubiectis rebus commune æquabiliter præbet, adeo ut ſingulæ eius generis ſpecies totam generis ſubſtantiam ſortitæ ſint, ut* Peripateticorum *opinio eſt, genus ipſum ſynonymum non analogum eſt, itaque non niſi quæ eandē generis naturam appellationemque ſortitæ res ſunt, quibusque ſynonymum genus ex æquo conuenire dicitur, eiusdem claßis eiusdemque generis eſſe feruntur: quæ uerò participes analogi generis ſunt, quoniam neq; pari ratione neq; æquali iure in generis collegium cooptatæ res ſunt, iccirco diſcrepare inter ſe, non conuenire, neque eædem genere eſſe propriè traduntur.* Loc. *Negas ſimul genere conuenire inter ſe res eiusmodi, quæ non æquabiliter ac pari modo ſynonymi generis naturam ſapiunt ac retinent: ego uerò, ut liberiùs dicam quod ſen-*

tio, longè alius a te ſum: etenim ex ſententia Auerrois, *id quod eſt atque id quod unum dicitur perpetuo neceßitudinis atque ſocietatis uinculo iuncta eſſe puto, adeo ut nulla hominum inuidia, nulla tempeſtas, diſſociare diducereq; ea poßit, quando id quod eſt, atq; id quod unũ exiſtit, eandem naturam obtinent, ut teſtatus eſt philoſophus quarto libro diuinæ ſapientiæ: ut meritò uelit* Auerroës *hanc ſententiã rectè uereq; a philoſophis pronunciatã eſſe, id quod eſt unũ exiſtit, quam quidem ſententiam reciprocari, ac retro cummeare arbitratus eſt, atq; utrunque, & id quod eſt, & idipſum quod eſt unum, iure ſuo liberiùs peruagari omnia rerum genera poſſe contendit: quæ cum ita ſint, etiam quæ analogi generis ſocietate coniunctæ res ſunt, ſimul in unum conuenire, eædemque genere eſſe memorantur. Sicut enim id quod eſt de cunctis rerum generibus dicitur, ita id quod eſt unum de uniuerſis rebus enuncietur neceſſe eſt: ac quemadmodum omnia ſunt idipſum quod eſt, tametſi longè impari & ratione & dignitate id conſecuta ſint, ſimili modo omnia id quod eſt unum exiſtunt, quanquam haud æqua unitatis ratione dignitateque cuncta id quod unum eſt obtinent: quo ſit, ut concludendum ſit, omnia eſſe idipſum quod eſt, atque unum quid eſſe: ex quibus planè patet, ſingulare atque unum id quod eſt exiſtere, ac quæcunque res ſunt iſtuc ipſum quod eſt quodque ſolitarium ſingulareque eſt eſſe.* Bucc. *Etſi id quod eſt quodque unum dicitur in cunctis rerum generibus uerſentur, ut ipſe probè* Auerrois *teſtimonio affirmas, hincque efficiatur, ut quemadmodum unumquodque eſt, ita ſingulare unumque eſſe memoretur, haud tamen hinc ego colligendum*

cenſeo omnia quemadmodum ſunt, ita unum quid ſimul exiſtere: ſiquidem ita eam Auerrois ſententiam accipiendam eſſe ſentio, id quod eſt, quodque ſingulare unumq; eſſe perhibetur, paßim percurrunt, libereque peruagantur ſumma genera rerum omnium, hoc eſt, quemadmodum id quod eſt in ſubſtantia ineſt, conſimili ratione, unitas, uel potiùs id quod unum dicitur, inſitum eſt in ſubſtantia. Idem ipſum de cæteris generibus affirmare nobis integrum eſt: ſicuti enim de ſingulis eorum id quod eſt dicitur, ita & quod unum eſt de eiſdem affirmatur, ut ſenſus ſit, ſingula genera rerum ſunt, & idipſum quod eſt, & quod unum eſſe dicitur: ut ſubſtantia & eſt, & ſingulare quid exiſtit, eadem ratione utrunque & id quod eſt, & unitatem cum unoquoque genere ſigillatim ſumpto conglutinare poßumus. Nec uerò eam ſententiam uerborum Auerrois eſſe exiſtimandum eſt, ut omnia rerum genera quodammodo in unum collecta id quod eſt idemque unum ſint; neque enim eadem principalis uis naturæ atque eius quod eſt in cunctis generibus inſidet, ſed alia alijs longè q; aliter, ut a nobis pauloante dictum eſt, eius quod eſt ratio & natura inſita eſt. Quòd autem hæc a nobis excogitata ſententia Auerrois orationi non incongruè concinat et quadret, ſimilitudine quadam probabimus. Ariſtoteles primo libro de anima inquit, actum pariter & poteſtatem in uniuerſa eaque ſuprema rerum genera irrepere atque intromitti, adeo ut & in ſubſtantia & cæteris in generibus diuerſari atque ineſſe ualeant: nemo tamen niſi penitus amens ſit, quin exiſtimet longè aliũ eſſe actum, aliamque poteſtatem, quæ ſubſtantiæ tributa eſt, ab eo actu eaque facultate, quæ magnitudini alijſque generibus

rerum

BERNARDINI BALDINI DIALOGVS DE MATERIA OMNIVM

diſciplinarum præſertim logicæ artis.

Perſonæ dialogi ferè omnes Academici Phœnicei.

LIBER PRIMVS.

CVM *in Academia noſtra* Tonſus *uir et utriusq; iuris, & humaniorum literarum admodum peritus, ac leporis urbanitatisq; plenus, principatum gereret:* Academici *uiri, qui tum frequentes conueniebant, ſtudioſiùs, ardentiùsq; & declamare, & diſceptare, & ſcriptores interpretari, certatim ſtudebant: e quibus alij alijs ſeſe diſciplinis tradiderant: ſiquidem & poetæ, & rhetores, & philoſophi, & mathematici, & iuriſperiti, et theologi, atq; non ſolum ingenuarũ artium, ſed etiam* Tuſcæ, Latinæ, *ac* Græcæ *linguæ ſectatores, atq; eruditi uiri in eo celebri cœtu aderant.* Quod cum Octauianus Rauerta, *digniſſimus* Epiſcopus, *ac ſumma uir & doctrina & probitate morum ſatis probatus, tot tamq; eruditos uiros in unum conuenire noſcet, rogatus a principe, ut, ſi quid ei in mentem ueniſſet, de quo ſermonem habendum eſſe ab* Academicis *uiris exiſtimaret, id ederet, perhumaniter inquit,* Et *ſi temerarium eſſe puto ad hoc nobile conſortium de rebus pertractandis in hoc celeberrimo loco referre, tamen ut ad præſcriptum*

agam, ac tua optime princeps præcepta exequar, quibus de rebus colloquendum, aut diſſerendum inter nos potiſſimum exiſtimem, aperiam. Cum nullum eſſe neque præclarum idioma, neque egregium dogma intelligam, quod uniuerſa hæc Academia non optimè teneat, cumque aliæ diſciplinæ ita cum alijs artibus cohæreant, tantaque ſocietate aut neceſſitudine eæ inter ſe iunctæ ſint, ut nemo niſi peritiſſimus acutiſſimusque uir eas a ſocijs affinibusque facultatibus ſecernere, atque intra proprios cancellos claudere poſſit, par eſſe puto, ut ſingulis Academicis, præſertim qui aliquas diſciplinas optimè aſſecuti ſunt, negotium detur; ut quisque de propria quam potiſſimum callet, arte uerba faciat: quæque propria eius artis ſunt, quàm poteſt facillimè expediat, eamque & ſuis finibus coërceat, & quibus cum alijs artibus conglutinata ſit uinculis, doceat, ijsque ſoluat expediatque uinculis. Tum M. Antonius Maioragius, qui tum publicè Mediolani profitebatur, atque non ſolùm oratoriam facultatem, in qua præ cæteris excellere putabatur, optimè callebat, uerumetiam dialecticam, philoſophiam, cæteraſque bonas artes non ignorabat, Rauertæ conſilium mirificè probauit: atque nullum fructuoſiorem ſermonem haberi poſſe ab Academicis uiris affirmauit: neque ulla ratione magis abijci atque abſtergi ex animis hominum errores poſſe contendit. Siquidem, inquit, qui minùs ea perſpexerit, quæ propriè ad aliquam artem pertinent, quemadmodumque ea ipſa ars cum cæteris facultatibus ſeſe permiſcuerit, ac quomodo eandem expedire, atque in ſolitudinē ſeuocare conueniat non didicerit, is artem ipſam penitus neſciat neceſſe eſt. Nam plærunque efficitur,

uti affinitate artium eluſt, quæ ſua propriaque ſunt alicuius diſciplinæ, alteri ſcientiæ tribuamus: itaque quæ poëtarum ſunt ſæpenumero oratoribus conuenire, quæ itē dialecticorum propria ſunt munera, crebriùs rhetorum eſſe creduntur. Hæc cum Ferdinandus Abduenſis *iurisperitiſsimus & eloquentiſsimus uir attente audiiſſet, laudare ſe utriusque, &* Octauiani Rauertæ, *&* M. Antonij Maioragij *ſermonem ait: atque ea cauſa, quod non ſolum iureconſultos, uerumetiam oratores cauſas agere, aduerſarios criminibus urgere, reos accuſare, & defendere intelligeret: atque ſe non ſolum a legislatoribus, ſed etiam a rhetoribus edoctum cauſas ſæpius egiſſe, adeo ut penè incertus eſſet, utrius proprium ſit, oratorisne, an iureconſulti uerſari in foro, & orare cauſas: an neuter, an uerò uterque eorum id tanquam ſuum agnoſcat.* In eadem *ſe eſſe ſententia inquit* Franciſcus Caſtilioneus, *uir, cum bonis artibus, tum optimis moribus imbutus, ut de ſingulis artibus ageretur, ac proprius haberetur inter* Academicos *uiros ſermo: idque ea cauſa, quòd nihil a poëtis intentatum relinqui ſolitum animaduerteret: adeo, ut in dubio eſſet, an omnibus de rebus diſſerendum ſit poëtis; ut de medica facultate, de gerendis bellis, de pietate, de religione, atque cæteris rebus, quæ alijs artibus ſubiectæ ſunt; an nihil ſit, quod propriè ſeſe poëticæ arti ſubijciat; an uerò quædam res peculiares ſint eius facultatis, ac quænā denique eæ res ſint, ſe ſcire cupere inquit.* In Caſtilionei *ſententiā ſe adductū eſſe ait eques* Vendraminus, *uir, cū rerū peritia, tū uſu inprimis probatus: qui ſanè affirmare ſe inquit, poëticā facultatē uel cunctis in rebus uerſari, ſiquidē nihil eſt, de quo poëtæ cōmodè dicere nō poßint*

uel penitus ſubiectæ materiæ expertẽ eſſe: ita tamen, ut, cũ prorſus inops exiſtat, nullamq; propriam rem ſortita ſit, tamen ditiſſima omnium artium ſit, atq; cunctas res attingere, ac ſuo ſibi iure uendicare audeat. Itaq; *ſibi curæ eſſe ait, uti demum perſpiciat, quænam farrago materieſue ſe poeticæ arti ſubijciat.* Tum Franciſcus Raueslatus *præſtantiſſimus & medicus & philoſophus ait*, Quid *de dialectica dicemus? quæ quidem) ut* Ariſtoteli *compluribusq; alijs eruditis uiris uiſum eſt (cunctis in artibus uerſatur, atq; omni omnium hominum non temere atq; inepte loquentium ſermoni ſeſe inſerit, quam propriè ſubdere ſe huic arti materiam memorabimus? quæ omneis res æquabiliter tractet: adeo, ut uel omnium rerum egena, aut omnium diſciplinarum locupletiſſima cenſenda ſit.* Idq; *quod* Vendraminus *de poetica affirmauit, ego quoq; de dialectica, authoritate* Ariſtotelis, *affirmare auſim.* Vbi *hæc* Raueslatus *locutus eſt*, Franciſcus Sauiius *acri iuuenis ingenio, ac non mediocri doctrina præditus*, Ex *ijs, inquit, quæ dicta ſunt, non ſolum dialecticæ & poëticæ artis, uerùm etiam rhetoricæ cõmune eſſe apparet de omnibus rebus poſſe dicere: quanquam hoc* Ariſtoteles *oratoribus & dialecticis tantummodo aſſeruit initio primi libri de rhetorica ad* Theodecten: *adeo, ut ternæ hæ facultates nihil, re uera, quod ſuum propriumq; ſit, agnoſcant: nihilq; alienum non poſſideant: quo fit, ut, cum facultates omnes ſubiectis rebus inter ſe diſcernantur, difficillimè harum facultatum diſcrimen quisquam inſpicere poſſit: cum nulla propria ijs ſubiecta res uideatur, qua ſingulæ earum dignoſcantur, atq; a reliquis diſtinguantur.* Andreas Camutius, *qui philoſophiã & medicam artem* Ti-

cini magna cum laude diutiſſime profeſſus erat, Hæc quoq; *miſcella, inquit, atq; iunctura artium, atq; earum, quæ ipſis ſubiectæ ſunt artibus, rerum, ſe in philoſophorum ſcriptis oſtendit.* Nam *pleraq; ab* Ariſtotele *in exempla ri de phyſico auditu conſcripta ſunt, quæ in libris meta- phycæ ſapientiæ ab eodem repetita ſunt.* Etenim etiam *ca tegoriæ, quas prædicamenta* Boetius *uertit, quæ ab eo- dem ſapientiſſimo philoſopho logicis uoluminibus inſertæ ſunt, in quinto libro diuinæ metaphyſicæ iteratæ, atq; ad unguem pertractatæ ſunt: ut merito prudentiſſimi phi- loſophi in dubio fuerint metaphyſici ne an logici partes ſint de categorijs diſputare.* Quare *ſingulas harum fa- cultatum non coniugatas cum alijs facultatibus haud fa- cile deprehendere licet: atq; a ſocijs germanisq; facul- tatibus eas ſeducere & dirimere uix poſſumus.* Nec *mi- nus* Stephanus Spinula*, qui mathematicis diſciplinis ſeſe initiarat, nonnulla, inquit, theoremata ab* Euclide *optimo matheſum artifice in quinto libro geometricarum inſtitu- tionum tradita ſunt, quæ in libris de arithmetica expoſi- ta, atq; alias ſæpius, ueluti in decimo libro elementorum, utriusq; artis præcepta promiſcuè & perturbatè ab eo homine, qui ordinis obſeruantiſſimus habitus eſt, confun- di cernimus: ut uix diſſoluere et ſeiungere materiam hariũ artium quisquam ualeat.* Rolandus *quoq; curtius, uir & iuris ſcientiſſimus, & maximè officioſus, ait libros* Ariſto- *telis de moribus, de gubernanda ciuitate, & de admini- ſtratione rei domeſticæ, neq; conuenire cum ciuili iure, neq; penitus differre diſſidereq;: ut opus ſit optimo iudice, qui litem hanc diſcernat, ac ius ſuum cuiq; arti atq; inſti- tutioni adiudicet.* Horum *omnium ſermone* Tonſus *opti-*

mus princeps, atque optimè meritus de rep. noſtra permotus, Vt uideo, inquit, liberales diſciplinæ, quibus turbatas atque tumultuarias res a nobis diſtingui oportet, ita inuicem commixtæ coagmentatæque ſunt, ut antiquum Chaos imitentur, adeo, ut nihil nobis plenè perſpectum eſſe ſtatuendum ſit. Cum enim rerum menſuræ omnino ignari ſimus, qui res ipſas idoneè iuſtèque metiri, aut metiendo earum rerum uires naturamque colligere atque perdiſcere nobis permiſſum fuerit? Scientia uerò certa perſpiciendarum rerum menſura eſt, ut a philoſophis affirmari ſæpenumero audiuimus. Cum itaque tam indigeſta ſit artium coaceruatio, ut lynceis oculis opus ſit homini, qui eas propriis finibus concludere, atque ſeligere, ſepararéque ab inuicem ſtudeat; quàm difficile ſit res, in quibus artes ipſæ uerſantur, diſcernere cuique patet. Sed tamen, quoniam acutiùs oculatiùsque numeroſiores oculi, quàm ſingularis oculus res etiam latentes atque penè ſenſibus noſtris ereptas intuentur, in ſpem uenio fore, uti nobilis hæc corona, quæ & multis & doctiſſimis uiris honeſtata decorataque eſt, ea ſimul efficere ualeat, quæ ſinguli homines uel peritiſſimi fortaſſe tentare non audeant, aut conſequi minimè queant. Qua propter uobis ſuadeo, atque (ſi mihi fas eſt uti hoc uerbo) præcipio, ut quam quiſque ueſtrum nouit artem, uel potius artis ſubiectionē, quàm poteſt, & clariſſimè, & breuiſſimè expediat: itaque cuncti & docendo & diſcendo tantùm profeceritis, ut uos ſuſcepti muneris nullo unquam tempore pœniteat. Tum Iulianus Goſelinus, ut qui non minùs acri quàm eleganti ingenio polleret, inquit, Difficile nobis onus abs te impoſitum eſt clariſſime princeps, cui neſcio an pares uires

geramus. Nam *neque ſinguli,neque uniuerſi* Academici *id præſtare poſſe uidentur,quod tu nobis præſcripſiſti.* Cui Lucas Contilius *feraci uir ingenio,qui* Academiam *magno pere extollendā eſſe arbitrabatur,occurrit; atque, paruipendis, inquit,* Goſeline, *hanc celebrem ſocietatem, in qua quidem complures ſunt, quorum ſinguli hoc munus quod ab optimo principe nobis demandatū eſt, exequi cōmodè poſſunt:tantū abeſt,ut uniuerſi ſimul id nō poßint.* Huic *ita reſponſum a* Goſelino *eſt.* Si *ſinguli id præſtare poſſent, a ſingulis omnes artes tenerentur; neque enim quiſquam artiū inſcius de ijs ſcitè loqui poterit: nec uerò etiā uniuerſi id conſequentur; ſiquidē non plures, ſed unicus ſit iudex earū, quæ inter ſe diſcernuntur, rerū oportet: alioquin eæ minus rectè diſcernentur.* Huic *aſſenſus eſt* Raueslatus, *qui ſingularem eſſe eum cōuenire,qui cōmunis ſenſus nuncupatur,ab* Ariſtotele *hac ratione oſtenſum, probatumque eſſe inquit,quòd ſingularis iudicis eſt cernere ac dijudicare quo diſcrimine ea diducta inter ſe ſint,quæ a pluſculis ſenſibus percipiuntur:quòd ſi unus,atque itē alter iudex nobis opus eſſet,qui haſce res diuerſas ſecerneret et libraret; id perinde eſſet,ac ſi gemini homines geminas res dijudicarent,ac ſingulus ſingulā tantū noſcet, uterq; tamē quid inter eas intereſſet pronuntiare auderet:quod quidē nō niſi uterq; re perſpecta efficere poßet.* Ac *non ſolū authoritate et teſtimonio* Ariſtotelis, *uerūetiā ratione is ſententiā cōmunijt ſuā,ac quare ita eſſe cū* Goſelino *uel cū* Ariſtotele *ſentiret,id cauſæ eſſe ait,quòd nemo differentiā rerū ſapit,niſi eas quæ differunt inter ſe res priùs nouerit:quandoquidē differentia ab ijs ipſis rebus trahitur, quēadmodū omnis collatio,cōparatione a rebus collatis inuicē deduci-*

tur: nec uerò collationem rerum quiſquam aſſequi poteſt, qui collatas res animo complexus non ſit: cum autem optimus iudex rerum diuerſitatem, differentiamq; qua diſcretæ res ſimul conijciuntur comparanturq;, & perſpicuè introſpicere, & planè commonſtrare queat: eas quoq;, quæ diuerſæ inter ſe ſunt res, unde diuerſitas deducta eſt, plane intelligere debet. Itaq; unicum iudicem facultatum & diſciplinarum diſcrimina, atq; ipſas diſcretas facultates diſciplinaſue iudicare mea ſententia, inquit, oportet. Caſtelioneus uero Goſelini, Raueslati, atq; etiã Ariſtotelis ſententiam, Ariſtotelis authoritate, refellere ſe poſſe ait, ſiquidem ab Ariſtotele tertio libro politicorum ita ſcriptum eſſe inquit, Melius multi quàm ſinguli, & in muſica arte, & in poetarum ſcriptis ferunt ſententiam: nanq; alij aliud, uniuerſi uero cuncta prouident, & decernunt. Alia quoq; Ariſtotelis ſententia ex eodem tertio politicorum uolumine deſumpta propoſitum ſuũ firmare roborareq; ſe poſſe ait: qua quidem ſententia & oratione philoſophus plærunq; a pluribus quàm a ſingulari homine rectius res dijudicari contendit: adeo, ut potiùs a multis ſapientibus atq; bonarum artium peritis uiris, quàm ab unico unicæ facultatis magiſtro id, quo diductæ artes inter ſe ſunt, diuortium inſpici poſſe crederet. Huic Barptolomeus Gorla acutè, ut qui ſummo uigeret acumine ingenij, hoc reſponſo occurrit, Si te authoritas Ariſtotelis, qua tantùm fretus iudicum numerum multitudinemq; commendas, in hanc deduxit opinionem: eiuſdem Ariſtotelis teſtimonium, quo iudicis unitas probatur, alios in contrariam ſententiam iure deducere poteſt. Atq; mihi alia difficultas ab ea, quæ prius in medium adducta

erat, de iudicatione uarietatis diuerſitatisq; artium pullulaſſe uidetur: quæ ſcilicet eſt, unuſne an complures iudices aptiùs uiſuri ſint hoc diſcrimen diſciplinarum. Porro Io. *Stibius non ſolum doctus utriusq; iuris, ſed muſarum amicus, ac poeta lepidiſsimus,* Fortaſſe *non impar inconueniensq; eſt,* Academici *uiri, nos conſulere in mediũ, utra tollenda controuerſia prius ſit, ea ne, quæ de numero iudicum, an quæ de differentia artium eſt.* Huic *perbelle* Saulius, A*liam quoq; tu* Stibi *elegantiſsime litem ſeris: nã quærendum adhuc eſt, uera ne ſit ſententia tua, qua requiris, num hæc uel illa priùs difficultas, quarum utranq; ipſe oratione tua attigiſti, diſſoluenda ſit.* Tum Io. B*apti*ſta Cicerius *eleganti iuuenis ingenio commodè inquit,* T*u uero quartam Sauli lepidiſsime controuerſiam addere uideris, quæritandum nanq; eſt conſimiliter, tua ne uera ſit oratio, atq; id, quod ipſe requiris, ueſtigare nos oporteat: an potiùs ſuperſedendum hac quæſtione ſit.* Non *potuit quin rideret* Rauerta, *ubi hæc accepit: atq; hæc ſubinde locutus eſt,* Innumeræ *lites controuerſiæq; parientur, ſi hunc teneamus ordinem, ut quod quiſq; effatus eſt, uerène, an falsò id protulerit, quærere uelimus: quare ſatius eſſe puto, ut has argutias omittamus, atq; ea perquiramus, quæ fructuoſa ſeriaq; ſunt.* Subriſit Antonius Franciſcus Ranerius *uir* Romano Hetruscoq; *ſermone mirificè probatus, atq; omni poëmatum genere nunquam ſatis laudatus, atq; ait,* Vide *optime & doctiſsime* Rauerta, *ne aliam tu quoq;, ac forte difficiliorem quæſtionẽ propoſueris: quia illud quoq; in controuerſiam adduci poteſt, quænam fructuoſa ſeriaq; quæſtio habenda ſit: quam ipſe perinde exponis, atq; omnibus res abs te expoſita*

aperta illuſtriſq; ſit. Tonſus his adductus, ingentem, inquit, quæſtionum cumulum ſimul congeſtum, atq; primæ, quæ propoſita erat, difficultati acceßiſſe planè perſpicio: ut uerear, ne in infinitū regrediamur, aliud atq; aliud controuerſiæ ac altercationis genus perueſtigantes, nullumq; tractandæ nouæ quæſtionis unquā facientes finē: eòq; iā nos perductos eſſe planè intueor, totq; ſimul inculcaſſe quæſtiones, ut quæ poſtremo loco propoſita eſt a Ranerio dubitatio, maximo diſtet interuallo ab ea quæſtione, de qua initio Rauerta habendū eſſe ſermonē retulit, cui quidē omnes aſtipulati eſtis. Itaq; ego, uel tractandā eam ſtatuo, uel imponendū eſſe modū noſtræ diſputationi: nā cū diſceptationi inuentio rerū, nō earū quæſtio propoſita ſit, conquirendæ a nobis res ſunt, ut inueſtigentur, nō ut tantū ex alia in aliā concertationē litemq; trahantur. Verùm unde ſumendum initiū putas? inquit Camutius: nō enim parui refert, noſce, quæ primo facultas, quæ itē ſecundo loco, & quæ deinceps tractanda ars ſit. Cum enim ſcientiā ab ordine ſe cernere nulla ratione queamus, ſi rectè tenere facultates atq; artes optamus, quo diſtributæ diductæq; inter ſe ſint ordine nobis ſpectandū eſt. Cui Tonſus, Id ipſe quoque uocas in controuerſiā, qui ſit ordo in tractandis facultatibus, atq; unde exordiri nos oporteat: ut dū amputare quæſtiones ſtudemus, in alias atq; alias incidamus difficultates, inſtar Herculis, qui pro uno abſciſo Hydræ capite multa nāciſcebatur capita, quæ ipſi uellenda, aut reſcindenda eſſent. Cui Camutius, Imo uerò præ cæteris tenendū ſeruandumq; ordinē eſſe ſentio, neq; quicquā ad illuſtrandas atq; ſubijciendas res oculis, atq; ad earū rerum memoriā magis cōducere hominibus, quàm ordinē uideo: ut meri

tò Cicero ex quinq; partibus, quas in oratore eſſe oportere ſtatuit, diſpoſitiõi, quæ ordo diſtributioq; eſt eodẽ referẽte, ſecundũ locum tribuerit, atq; ab inuentione, quam primo loco collocauit, diſpoſitionẽ ſecundam eſſe inſtituerit præceperitque. Tum Maioragius, qui ſibi ſummam noſtra tempeſtate in oratoria facultate uendicabat, nec immeritò fortaſſe, quando, inquit, Camuti uir præſtãtiſſime falcem in alienã meſſem ipſe ponis, atque a philoſophis, inter quos maximo in honore haberis, ad oratores teipſum transfers; æquum eſt, ut nos quoq; ab oratoribus, in quibus aliquid ſumus, ad philoſophos tranſuolemus atq; traducamur. Itaq; quantæ nobis curæ eſſe debeat ordo diſpoſitioq; rerũ de quibus collocuturi inter nos ſumus, teſtimonio Auerrois, Boetij, atq; fere omniũ Peripateticorum nobis facile probare licet, qui præter cætera præludia ac prolegomena, quæ initio cuiusque operis ſpectanda ſunt, quo ordine contextæ collocatæque ſint ſingulæ operis partes, inprimis uidendum eſſe uoluerunt. Quin, inquit Raueslatus, ſi ordinem adimas, & demonſtrationẽ ſcientiamq; penitus ſubducas ſurripiasq; neceſſe eſt: quid enim aliud deffinitio eſt, quæ nobis aditum ad ſcientiam aperit, quàm certa quædam gradatio conſtitutioque naturalium partium, quæ in re definienda ſunt? qui enim rem aliquam rectè ac certa lege definiunt, eas, quæ antiquiores rei partes priùs, quæ iuniores poſteriùs collocant: itaq; gradatim a uetuſtioribus ad recentiores, easq; inſitas in re partes, tum demum ad nouiſſimas propriasq; perducuntur. Itaque quid primũ, quid ſecundũ, quid tertium in re ſit, oſtendunt: remq; ex ijs partibus coagmentatã atq; impeditã diſtinctis atq; loco ſuo diſtributis eius partibus planè extricant et expediunt.

lucemq; afferunt ijs, qui rei ipſius certam ſcientiam tenere exoptant. His *adijce, inquit Saulius, ordinem, qui in ratiocinatione, ſiue ut uocant, ſyllogiſmo uiſitur: nam qui medius in ea oratione nuncupatur terminus, ijs qui extremi ſunt termini, certa lege rationeq; cohæret: primo cum maiori ſe conglutinans termino, deinde anguſtiori ſe ſe dictioni terminoue alligans: adeo, ut ſe medium utrinq; reductum utriq; extremo termino præbeat, atq; utrunq; ſimul deuinciat. Quod ſi hi termini ſua ſede collocati non eſſent, atq; certa lege certoq; ordine non forent diſpoſiti, qui utrinque poſiti ſunt termini, minus congruè in unum conuenirent, atque haud idoneè medio termino tanquam iunctura ac glutine quodam ſimul copularentur.* At *nemo eſt, inquit* Vendraminus, *qui neſciat ordinem cunctis in rebus accuratiſſime ſeruandum eſſe: quem qui negligunt, ij ſine lege ac ſine ratione res ſuas gerere atq; adminiſtrare iure dicuntur: quid enim aliud eſt præterire ordinem, quàm a lege rationeque diſcedere? Quare nihil opus eſt ut altercemur, atque tanquam de re controuerſa diſputemus, nunquid ſequi nos ordinem in tradendis explicandisque diſciplinis operæpretium ſit: quandoquidem omnibus compertum perſpicuumque eſt, lege ordineque nos cuncta facere æquum eſſe: idque non modo in explicandis artibus, uerùm etiam in gerendis adminiſtrandisque omnibus negocijs nos etiam atque etiam curare oportere.* At T*onſus academicorum princeps ita effatus eſt, Quando uobis tantopere probatur diſputatio de diſtributione atque ordine diſciplinarum, eam uobis ipſe quoque ſumendam eſſe ſtatuo: neque enim ipſe neſcius ſum in primis ordinis rationem habendam eſſe, & tamen nolim*

uos tandiu in diſſertatione hac occupari, ut tanquam huius gratia ſuſcepta ſit omnis noſtra oratio, penitus obliti ſitis ſermonis de materia facultatum, quem initio habendum eſſe inſtituiſtis: atque ea re Camutio *apud uos de tractando ordine referenti penè reluctari uiſus ſum, cum tamen ordinem præcipuè ſeruandum eſſe cenſerem.* Tum Io. A*ntonius* M*agius iuuenis ſummæ ſpei et egregiæ indolis*, Illud *inter omnes huius celeberrimi conſortij homines ſatis conuenire uideo, & de ijs in quibus quisque noſtrum laborauit ſtudijs & facultatibus diſſerendũ eſſe, & ſuo quamque facultatem loco ſituandam, atque in ordinem redigendam eſſe.* Sed *tamen de qua arte primum loqui opus ſit, de qua ſecundo loco diſſerere nos oporteat, & quæ deinceps memorandæ pertractandæque ſint diſciplinæ, nondum ſancitum eſt, quod tamen prius ſanciri ac conſtabiliri operæpretium eſt.* Recte *ſentis, inquit* A*ntonius* C*erutus uir lyricis carminibus nobilis, ſed tamen noſce quæ primam ſedem iure occupet, quæque initio explicanda ſit facultas, ac quæ ſecundum locum obtineat, quibusque aliæ gradatim ſeriatimque ſedes congruant artibus, difficile eſt iudicium: atque audij ipſe ſæpenumero philoſophos decertantes de ratione collocandi atque deducendi in ordinem ſingulas artes: atque adhuc ſub iudice lis eſt.* Huic *ſcitè reſpondit* Io. B*aptiſta* B*arcellus, iuuenis perurbanus, ac litteris litteratisque hominibus mirum in modum addictus.* Nemo *eſt noſtrum, qui neſciat difficile eſſe quamcunque artem proprio conſtituere loco: atque ideo res in quæſtionem uocatur, quòd cognitu difficilis eſt: quòd ſi promptum procliueque cuiuis foret, perſpicere diſciplinarum ordinem, atque ſingulam*

cuiusque earum ſedem, indigna res eſſet, de qua tam anxiè tamq; ſtudioſè in hoc celebri doctiſsimorum hominũ conuẽtu diſputaretur. At Io. Stibius *ait, Dum terimus tempus in enodanda ordinis artium difficultate, nihil de ordine dicimus: quamobrem ſatius eſſe puto, ut iam tandem rem ipſam, de qua nobis habendus eſt ſermo, aggrediamur. Quin tu, inquit* Ranerius, *Stibi opus ſuſcipe, atque facultates ipſas diſpone collocaque propriis ſedibus, nec minus, quã auſpicari priùs oportere diſciplinam cenſeas, expedi: ut inſtitutum opus & inceptare & perficere tandem ualeamus.* Ego *uero, inquit* Stibius, *neque hanc artium diſpoſitionem, neque hoc principium noui; neque ſi intelligerem, explicare auderem: cum hic præſentes adſint tot tamque eruditi philoſophi, quorum quidem munus eſt de diſpoſitione diſtributioneque artium uerba facere.* Hunc Franciſcus Caſtilioneus *ita percunctatus eſt.* Eho, *dic mihi, qui ignarus eſt alicuius artis, poterit ne is ſcitè eam artem propria in ſede conſtituere?* Cui Stibius, *minimè, ut opinor.* Tum Caſtilioneus, *non igitur philoſophi partes ſunt de ratione diſtribuendarum omnium artium agere, atque eas ordine componere: neque enim omneis artes philoſophus poßidet.* Atqui, Contilius *inquit, nihil eſt quod philoſophis non ad unquem cognitum perſpectumque ſit.* Cui Caſtilioneus; *an tanquam philoſophum ſapere cuncta hominem exiſtimas? Quidni exiſtimem? inquit* Contilius. *Ille uerò; igitur philoſophus grammaticã, poëticã, oratoriam, & theologicam facultatem, ac ciuilia iura ſibi iure ſuo aſſumeret: itaque grammatici, & poëtæ, atque ſinguli cuiusq; artis magiſtri, philoſophi meritò dicerentur. Quod philoſophis cunctas res ſapere neceſſe ſit, mihi ſemper perſuaſi,*

132

inquit Contilius: quòd tamen ex eo concludendum ſit, & grammaticos, & rhetoras, & cæteros aliarum artium profeſſores philoſophos eſſe, mihi planè non ſit ueriſimile: ſiquidem medicum eſſe & dialecticum & philoſophum oportere dicimus; attamen hac ratione non aſſeueramus eũ qui logicus ſit, neceßitate quadam medicum eſſe: fieri nanq; poteſt, ut aliquis optime logica inſtructus ſit, qui ne limina quidem medicæ artis forte ſalutarit: ueluti Scotum optimè calluiſſe logicam artem omnium eruditiorum uirorum conſenſu traditur: nemo tamen ex ijs uiris qui id affirmant, Scotum medicæ facultatis ſcientem fuiſſe dixerit. Conſimili ratione ipſe aſſeruerim philoſophum quidem omneis tenere artes, ueluti grammaticam, logicam, cæterasque diſciplinas: neque tamen inde colligendũ puto, eos qui grammatici ſunt, philoſophos iure eſſe nuncupandos: ſiquidem Priſcianũ optimè tenuiſſe grammaticæ artis precepta omnes homines uno ore prædicant, quem tamen nemo eorum philoſophis annumerandum unquam cenſuit. Huic ita reſponſum eſt a Caſtilioneo. Ego uerò adduci non poſſum, ut credam, ſi hominem tanquam philoſophum cunctas artes poßidere neceſſarium ſit, quin ſingularum artium periti uiri philoſophi habendi ſint: quicquid enim ad aliquem hominem tanquam ad philoſophum attinet, ad philoſophum propriè & ſuapte ratione attingere putatur: nihil uerò ad philoſophum ſuapte natura pertinet, quod philoſophi non ſit, quòd ſi grammatica ſua ui & propriè ſpectat ad philoſophum, grammatica philoſophi eſt, igitur grammaticus philoſophus exiſtit. Tum Saulius inquit, Caput propriè hominis eſt, igitur caput homo exiſtit: hoc ego conſectarium nunquã probauerim. Gorla uerò ait,

erras qui caput propriè hominis eſſe memoras: nam Ariſtoteles in categorijs id haud dubiè negat : quo loco caput non ad hominem neque ad animal proprie attingere atq; referri inquit. Tum Saulius, *pater ſua ui ad filium refertur, neque tamen ob id quiſpiam eundem eſſe filio parentem retulerit.* Huic Caſtilioneus, *ſecus res ſe habet, ſi eundem eſſe grammaticum philoſopho, atque ſi patrem a filio nihil differre narremus: illud enim partem toti con ſimilem, hoc relatum rei ipſi cui comparatur idem eſſe ſignificat: illud quidem recipiendum, hoc recuſandum negandumque eſt.* Cui Saulus ait: *eſto, non ita accipiamus hanc orationem,* Grammaticus *idem cum philoſopho eſt; ac accipiendam hanc putamus orationem,* Idem *pater liberis filiiſue eſt; quoniam hic relatas res ſimul conueni re in unum docemus, id quod longè a uero alienum eſt, illic partẽ toti adſimilem eſſe ſignificauimus.* Equidem *nõ admo dum hanc ſequelam probauerim,* Pars *ſimilitudine atque imagine quadam idipſum, quod totum eſt, refert; igitur pars toti eandem ſe præbet: nam cum quid cuiquam rei ſimile eſſe perhibemus, idipſum ab ea ipſa re diuerſum eſſe ſignificamus: ueluti cum colorem ſimilitudine reſpon dere colori memoramus, diſtinctos eos eſſe inter ſe colores arguimus: cum uerò quid cuipiam rei idem eſſe tradimus, perinde eſt, ac ſi nullo diſcrimine id a re ipſa, cui quidem idem eſt, diſsidere pronuntiemus.* Itaque *ſi partem uniuerſitati conſimilem eſſe aſſeueramus, haud eandem eſſe uniuerſitati partem, his uerbis innuimus.* Camutius *uerò, qui Caſtilionei percupidus & ualde ſtudioſus erat, tametſi ſciebat Caſtilioneum commodè reſpondere poſſe Saulij argumento, tamen ut onere hoc amicum leuaret, ita*

cum

cum Saulio egit. Subtiliter tu quidem iuuenis candidate, quem in ſenſum accipere oporteat, quod ſimile alicui rei, quodque idem rei cuipiam eſſe dicatur, retuliſti. Quod tamen hanc conſecutionem neutiquam admittis, pars adſimilis uniuerſitati eſt, igitur eadem eſt uniuerſitati pars; nos contrà, partem ignis uniuerſo ſe igni & ſimilem & eandem exhibere iure merito dixerimus: nam cum pars ignis totius ignis naturam ſapiat, quid obſtat, quominus eandem eſſe partem ignis uniuerſo igni iure affirmemus? etenim quæ eandem induerunt naturam, eadem eſſe uel indiuidua natura, uel ſpecie, uel genere, authoritate omnium Peripateticorum concedendum eſt. Tum Raueslatus; Probaſti tu quidem eandem eſſe partem ignis uniuerſo igni: haud tamen conſimilem eſſe partem toti itidẽ docuiſti: atque haud ſcio, an quæ eandem aſſecutæ ſunt res naturam & ſubſtantiam, ſimiles etiam inter ſe eſſe cenſendæ ſint: ac licet etiam & eædem, & ſimiles quædam partes ſint uniuerſæ rei, haud tamen cunctæ partes his rationibus cum tota re conueniunt. Nam quis brachium aut ſimile aut idem homini, cuius quidem pars eſt, dixerit? Itaque licet grammaticam eſſe philoſophiæ partem demus, haud tamen neceſſariò concludendum eſt, eandem, uel ſimilem philoſophiæ grammaticam eſſe: eæ duntaxat partes, quæ omogeneorum ſunt corporum, ex eadem ſunt natura, ex qua quidem id quod uniuerſum eſt conſtat. Hinc efficitur, ut idem nomen, eademque deffinitio, & uniuerſæ rei, & ſingulis rei ipſius partibus idoneè aßignari conſueuerint, quæ uerò etereogenearum ſunt rerum portiones, neque eadem naturæ lege aguntur, qua id quod totum eſt ducitur, neque eandem nomenclaturam eandemq;

deffinitionem cum re ipſa integra ſortitæ ſunt. Tametſi uerò omogeneæ partes eiuſdem ſint & naturæ & rationis cuius quidem uniuerſum exiſtit, haud ea re ſimiles eſſe uniuerſæ rei exiſtimandæ ſunt: quandoquidem quæ ſimilia eſſe traduntur, in ijs quæ qualia ſunt, authore Ari*ſtotele, ſtatuere oportet: non in unitate naturæ & ſubſtantiæ, quæ unitas easdem non ſimiles res efficit.* Ca*mutius ſuam communire conſtabilireque ſententiam parabat, ac non pauca confirmandi propoſiti ſui gratia dicturus erat: ni* Rauerta*, qui quidem, ut ſumma in dignitate conſtitutus, plurimùm authoritate ualebat, nos admonuiſſet longiùs trahi ſermonem de conſenſione partium ac totius, quàm par eſſet: quapropter præſtare aiebat, ut diligenter excogitaremus, quem tenere ordinem in tradendis diſciplinis, id quod propoſitum erat, opus eſſet, & quis ordinem ipſum & perſpicere & alios docere poſſet.* Hoc, *inquit* C*aſtilioneus, in controuerſia erat, atq; huius rei gratia, an philoſophi munus ſit ſuo quamque facultatem loco ſituare, exquirebamus.* Q*uin igitur hoc ipſum conquirimus? inquit* Rauerta*, atque hanc de conſenſu conſpirationeq; partium cũ integra atq; uniuerſa re diſputationem miſſam facimus? neque. n. noſtro inſtituto admodum conducit.* De*ſine iſthæc mirari, inquit* Vendra*minus: nam cum plures hic ſimul congrediantur colloquanturq; homines, quã lex dialogi poſtulet, euenit, uti plerunq; in diuerticula abeamus, longèq; a propoſita re recedamus, uſq; adeo, ut uix iter inſtitutum agnoſcamus: atq;, ne a propoſito longiùs deerremus, initium repetere cogamur.* Re*ctè ais, inquit* Ferdinandus Abduenſis*, nam dum quiſq; præſtantiam atq; àcumen ingenij oſtentare cupit, alias atque*

alias cõminiſcitur rationes, quibus aut ſententiam animi ſui cõmuniat, aut nouam meditetur quæſtionem: itaque fit, ut ſæpenumero longiùs ab inſtituto opere noſtra oratio ex=currat & euagetur. Tum Tonſus *Academicorum dux et moderator ait.* Hoc inter uos conuenire *ſat ſcio, priùs ſpe ctandum nobis eſſe quemadmodũ diſtribuere locareq; fa=cultates opus ſit, quàm ut de ſingulis earum agatur: ſed cuius interſit digerere atq; ordine diſponere artes, a uobis quæri facile uideo: nanque alij id attinere ad philoſophũ opinantur, alij negant philoſophi officium eſſe ſituare at=que ordine collocare liberales diſciplinas.* Ne *nullius alter-cationi finis ſit, neue contentio in infinitum retrahatur, hoc uelim, quod nunc in quæſtione eſt, quàm poteſt facilli=mè & promptiſsimè expediatur: ut, & ordinem artiũ dilucidè & breuiter indagare, & quæ cuiusque artis pro prietates muneraq; ſint, poſtremò dignoſcere queamus: itaque propoſitæ quæſtioni finem imponamus.* Ac *ne ſer=mo noſter exulet, atque longè peregrinetur,* Maioragium *ipſe priùs percunctabor, quem ipſe ordinis ſcientiarũ tex=torem artificemque ſtatuat. Agè igitur,* M. Antoni, *fare quem conſtruendæ atque exædificandæ huic fabricæ, atq; pertractando huic ſcientiarum contextui ordinique magi=ſtrũ præficias.* Maioragius *ad rogata ita reſpondit.* Equi=*dem oratoris officium eſſe arbitror ſingulas artes in or=dinem redigere, ac proprio quamque facultatem con=ſtituere & ponere loco.* Ac *ne nulla cauſa hæc dixiße exiſtimer, neue plus ego oratoriæ facultati quàm con=ueniat, tribuere uidear, quòd in ea arte me ualde ip=ſe exercuerim, atque eius præcepta publicè diſcipulis tradam; quare ita cenſeam accipite* Academici *uiri.*

Neceſſe eſt, ut qui quarumcunque artium uires & dignitatem aperire, hoc eſt ordine collocare unamquamque facultatem ſtudet, earum ipſarum artium uim dignitatemq; prius perſpexerit: ſed orator omnium artiũ poteſtatem excellentiamque acutiſſimè peruidet, orator igitur rectè ſingulas artes collocare & diſtribuere poteſt. Huic Raueslatus occurrit *his uerbis.* *Hac itidem ratione dialectici partes eſſe cenſendum eſt de ordine gradibusque artiũ omnium dicere: ſiquidem non aliter dialectici, atq; oratores, omnium diſciplinarum uim preſtantiamq; intuentur.* Enimuero, *ut* Ariſtoteles *in primo libro rhetoricorum ad* Theodecten *inquit, utrique, rhetores. s. & dialectici, in ijs rebus elaborant uerſanturq;, quæ cõmunes omnium artium ſunt, atque ad cunctarum artium perſpicientiam intellectionemq;, non certam ullam ſcientiam ſpectant.* Ex ijs *ſanè perſpicuum eſt, perinde dialecticis, atque oratoribus uniuerſarum facultatum uim perſpici poſſe: quare utriq;, nempe dialectici & rhetores, ordinem artium oratione cõſequi æquabiliter poſſunt: uel, quod potius reor, neutri eorum re uera encyclopædiam aſſecuti atque artium ordinẽ, pertractare queunt.* Etenim *cum logica anteeat permultas artes, præſertim philoſophiam & mathematicas diſciplinas, adeo, ut prius nos logicis præceptionibus planè imbui oporteat, quàm philoſophiam atq; matheſes uix ſummis labijs deguſtare poſſimus, contra, neque ſophiam neq; geometricas inſtitutiones aſſequi & colligere animo queamus, niſi logicis nos inſtitutis præceptisq; planè informauerimus inſtruxerimusque; quonammodo logici ij, qui nondum alias artes adepti fuerint, earum quas prorſus ignorant artium uim tenere, dignitatemq; & ſapere &*

uerbis euulgare ualent? Quod cum id eis minime integrum ſit, neque ijs etiam ſcire licet, quo digerendæ diſponendæq; tenore & ordine hæ facultates ſint, quas neutiquam perſpectas habent. Quod ſi conceſſum logicis non eſt hanc artium diſpoſitionem cernere, neque oratoribus id etiam permiſſum eſſe arbitror, qui quidem nihilo meliùs acutiùsue quam logici poteſtates artium animo luſtrare, & mentis acie introſpicere ualent. Quocirca, ut liberiùs id quod ſentio aperiam, neq; oratoris, neque dialectici officium eſt, de ordine artium diſputare, ſingulasqus earum in propria ſede collocare. Goſelinus uir humanitate & modeſtia admodum probatus, & ſi, inquit, a me alienum eſſe duco diſſerere de ordine ſcientiarum, & de ordinis magiſtro & duce; nam hoc optimè ſcientiſſimèque omnium philoſophi & uidere & nos docere poſſunt; tamen ſi mihi per uos, uiri optimates, licet quod ſentio in medium afferre, id libentiſſimè facturus ſum: non ut uos in meam ſententiam deducam (nam fieri poteſt, ut ipſe grauiùs quàm quiuis ueſtrum offendam atq; peccem) ſed potiùs, ut ſiquid deliquero, a uobis doctiſſimis uiris errati admonear atque corrigar. Cui Tonſus perhumaniter ait; Nemo noſtrum eſt qui neſciat te Goſeline ita natura inſtitutum comparatumque eſſe, tantùmque & ingenij acumine & grauitate iudicij uigere, ut tibi minimè uerendum eſſe putemus, uel de ijs rebus quæ a tuis ſtudijs abhorrent liberiùs uerba facere. Quare ſiquid tibi in mentem uenit, non ſolùm id te pronuntiare atque edere ſinimus, ſed etiam ut id nobis palam facias a te petimus. Vereor, inquit Goſelinus, ne non huic reſpondere ualeam, quam concitaui de me ipſo, opinioni. Sed tamen, quando & uobis ita placere ſentio,

& ut id uobis placeret ipſe efficere conatus ſum, dicam id, quod fortaſſe quibusdam ridiculum uidebitur. Cum ipſe poëtas uniuerſis de rebus loquentes, atq; inſerentes poëmatibus cunctas ſupellectiles, quæ cunctis ſubiectæ ſunt facultatibus, atq; adeo theoremata ipſa tractantes uideam; in hanc prope uenio opinionem, niſi eam immutare ueſtris rationibus coactus fuero, poëtarum munus eſſe, diſciplinas diſponere, ac proprijs in ſedibus collocare: nam qui de facultatibus eorumque materia, ſine ulla dubitatione (ut poëtæ) diſſerunt, ij facultatum ipſarum uim & dignitatem ſapere mihi uidentur: niſi forte ſtultitia atque amentia quadam de artibus eloqui exiſtimentur: quod quidem de poëtis, qui diuino quodam impetu trahuntur, ut Platoni *uiſum eſt, affirmare impium nefariumq; eſſe duco.* Ioſeppus Betuſsius Hetruſcæ *linguæ peritiſsimus, ac* Hetruſcis *muſis perquam familiaris atq; gratus, ſe pedibus ire in ſententiam* Goſelini *ait: atq; ſuam, pariter &* Goſelini *opinionē teſtimonio* Horatij *præclariſsimi poëtæ confirmauit, locumque eius ex arte poëtica citauit.*

Pictoribus atq; poëtis

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Quibus lepidiſsimi poëtæ uerbis, poëtam uniuerſis de rebus ac de cunctis diſciplinis loqui poſſe ſignificatum eſſe contendit. Præterea complures uates, compluraq; uatū carmina, partim Latino, *partim* Tuſco, *necnon etiam* Græco *idiomatæ exarata adduxit, quibus quidem uarias res uariasq; diſciplinas traditas eſſe ait. Nanq; ab alijs philoſophiæ præcepta mortalibus data eſſe retulit, ut a* Dante, *a* Franciſco Petrarca, *atq; etiam ab* Homero Græco *& doctiſsimo authore: ab alijs morum diſciplinas, ueluti ab*

Horatio : ab aliis theologiam , ſicuti ab Orpheo Græco, a Dante Tuſco & ſapientiſſimo uiro: ab aliis res diuinas aut deorum cultum, quemadmodum a Vida , a Sanazario , ab Heſiodo Græco: a quibusdam medicam artem, ut a Macro, a Q. Sereno : a pluribus militarem diſciplinam , ut ab Homero, Virgilio , Lucano, Ludouico Arioſto : a nonnullis aſtrologiam, ſicuti ab Arato, a M. Manilio: a plurimis res amatorias, ueluti a Callimaco , Phileta , Anacreonte , Sappho poëtria, Tibullo, Catullo, Propertio, Ouidio, cæterisq; aliis, præſertim elegiacis lyricisq; uatibus: ab aliis agriculturam, ueluti ab Heſiodo, atq; a Marone Andino uate eodemq; celeberrimo. Oratoria uerò, inquit, atq; dialectica ars omnibus in poëmatibus prope uiſitur: quæ itē ad ludos, ad adminiſtrationem curāq; domeſticarum rerū , ad moderandas ciuitates, ad gubernandas naues, ad curam animaliū, ad uenationē, ad magicas artes, ad conuiuia, ad locorū deſcriptiones, ad ſtructurā oppidorū, ædiū, et templorū, ad concitandos, ſedandosq; animorū motus, ad concentiū atq; harmoniam, ad perſpiciendā elementorū, lapidū, metallorū, ſtirpiū, animantiū, atq; rerū omniū uim & naturā pertinent, omnia poëtarum libris inſerta, atq; cōmodè appicta eſſe retulit: nihilq; eſſe tum demū inquit, de quo poëtæ non egerint : iuxta illud Horatianum ;

Nil intentatum noſtri liquere poëtæ.

Atq; nō iniuria diuinos poëtas a diuino Platone in Ione uocatos eſſe: ſiquidē, cū homines optimè natura cōſtituti, atq; perdiu in ſtudis uerſati, de ſingulari aliqua facultate uix ſatis idoneè cogitare aut loqui poſſint; poëtæ tamen de cūctis rebus prudentiſſimè loquuntur , quod nō humanis uiribus, ſed diuina tantū ope adiuti præſtare atq; efficere queunt.

Sane Betuſſii oratio tantũ ponderis habuit, ut multi Academici uiri, præſertim qui muſis addicti deditiq; erant, ac poëmatibus editis iã illuſtres erant, Goſelinũ ac Betuſſiũ uera locutos eſſe cõtenderent; in quorũ numero erãt Ranerius, Vẽdraminus, Cerutus, Petrus Nouatus, Philippus binaſcus oculis quidem captus, cæterùm acie mentis oculatiſſimus: ex eadẽ ſententia ſe eſſe fatebantur quidã optimæ ſpei ac bonarum artium ſtudioſi iuuenes, ut Io. Baptiſta Ciceri=us, Antonius Magius, Ioannes Marianus, Bernardus Gentilis, alijque non incelebres uiri. At Zaphyrus, qui Ticini dialecticam artem publicitus interpretabatur, Cauete, inquit, clariſſimi uiri, ne, dum tantùm poëticæ arti tri=buitis, totque eam laudibus inſignibusque honeſtatis, aliæ diſciplinæ a uobis denigrentur, prauèque afficiantur. Cui Nouatus, an eſt ut quiſquam decoranda celebrandaq; poëſi cæteras artes deturpet, atque obſcuret? Tum Io. Bapti=ſta Caſtilioneus, qui quidem non ſolùm legum peritia, un=de lauream coronam meruerat, uerùm etiam elegantiſſi=mis politiſſimiſque carminibus et moribus probatus erat, illud Nouati ſolertiſſimi uiri uerbis adijci poſſe inquit; lau datione poëticæ facultatis non ſolùm nihil detrahi cæteris diſciplinis, uerùm etiam eas ditiores clarioreſque effici: cum enim nobilitas artis ſubiectis rebus, in quibus ars ipſa uer=ſatur, ornamento ſit, fieri inquit, ut dignitas poëticæ rei decus afferat cæteris diſciplinis & ſtudijs, de quibus in poëtica arte agitur: ut pulchrè ac penè diuino ore Betuſ=ſius memorauit. Quin potius alter Caſtilioneus, Franci=ſcus nomine, iuuenis nunquam ſatis laudatus, inquit, Si Ariſtotelem, ut par eſt, audiamus atque ſequamur, qui in primo libro de anima, dignitatem artium dignitate ſubiectæ

rei, et firmitate demonſtrationis metiri nos oportere ſtatuit; potiùs ſubiectas res ei afferre ornamentum & lucem facultati, cui ſeſe ſubijciunt, quàm dignitatem accipere ex propria arte æxtimandũ eſt. Itaq; non poëticam alijs artibus, ſed alias artes poëticæ decori ſplendorique eſſe cenſendum eſt. Illud potiùs ſpectandum eſſe ſentio, inquit Ferdinandus Abduenſis, an cunctas artes poëtica facultas complectatur; atque ſibi ſubijciat: quòd ſi (ut mea fert opinio) poëtica facultas haudquaquam circa uniuerſas diſciplinas & artes uerſatur, neque ea cunctis facultatibus ſplendorem dignitatemque afferet, ut uiſum eſt Caſtilioneo ſeniori; neque ab uniuerſis artibus ipſa decorabitur illuſtrabiturque, ut Caſtilioneus iunior cenſuit, neque etiam poëtæ officium eſt diſſerere de dignitate atq; ordine deſciplinarum, ut Goſelinus & Betuſſius affirmarunt, quibus complures alij aſſentiuntur. Itaq; ego potiùs etiam atque etiam uidendum eſſe diiudico, an uniuerſæ facultates poëticam tanquam reginam agnoſcant, atque ab ea coerceantur cudanturque. Cerutus, qui nihil carminibus præſtantius atque antiquius exiſtimabat, atque plus ſibi uendicabat, quòd carmina & modulatus eſſet, & nullo labore edere poſſet, quàm cuiuis uel præſtantiſſimo philoſopho tribuendum arbitraretur, uix æquo animo tulit Abduenſis orationem, atque penè ſubiratus Abduenſi inquit, Non ſatis probatum eſt a Betuſſio uiro alioquin eruditiſſimo, idque cum multis tum firmiſſimis authoritatibus, poëtas omnibus de artibus dicere poſſe? atque adeo locutos eſſe? nonne ex ijs ſatis perſpicuum eſt, cunctas res facultatesque huic arti ſubiectas eſſe? Cui Abduenſis neſcio an ſiquis meminerit in oratione ſiue carmi-

ne alicuius rei, quæ res diuerſa ſit a principe primariaq; materia operis, ea ipſa res operis itidem materia, aut materiæ pars exiſtat: ueluti Virgilius primo libro georgicorū, in quo quidem uolumine de agrorum cultu, tanquā de primaria re ſubiecta egit, meminit rerū quæ ab aſtronomis ſpectari debent: attamen ipſe non ideo auſim affirmare, ſidera cæterasq; aſtronomicas res quæ libro inſertæ ſunt, eidem libro tanquā propriam ſupellectilem ſubijci; ob quam quidē rē mihi ambiguum eſt, an omnis farrago quā loquuntur aut fabulantur poëtæ, poëticæ artis materies ſit. Tū Andreas Camutius, cui ſanè tanquā & prouectioris ætate, & philoſophiæ peritiſsimo uiro, uniuerſi Academici plurimum fidei adhibebant, inquit, Tua Ferdinande feſtiuiſsime oratio effecit, ut ego & rem de qua nunc diſputatur tandē aſſecutus ſim, & litem hanc facillimè dirimere poſsim. Equidem, ut quod res eſt dicam, haudquaquā puto poëticam artem omnibus præeſſe facultatibus, in eisq; tanquam in propria re materiaq; uerſari. Qua uerò ratione adductus id exeſtimem, accipe. Poëtica facultas aut ijs aſſerenda annumerandaq; artibus diſciplinisq; eſt, quæ in rebus uerſantur, aut ijs inſerenda facultatibus, quæ eas tantummodo, quas ſibi animus confingit, imagines amplexantur. Si in harum claſſe facultatū, in quibus de rebus animo excogitatis agitur poëtica ars poſita fuerit, minimè eas capiet continebitq; diſciplinas, quæ de rebus ſunt: quòd ſi his adſcripta ſit diſciplinis, quæ uerſantur in rebus a natura procreatis, ijsdem tamen collectis animo, haud eas ſinu ſuo complectetur facultates, quibus animi inuenta cogitationesq; ſubijciuntur. Itaq; efficitur, ut, licet hæc ipſa, de qua nobis ſermo eſt poëtica ſcientia, ſummū attigerit

nobilitatis gradum, ac cæteris præſtet facultatibus, quod quidem ego haud facilè Goſelino & Betuſsio conceſſerim, eas duntaxat uendicet ſibi facultates, quæ ex ea ipſa claſſe ſunt, in qua quidem claſſe poſitam eſſe poëticã artem ſtatuerimus: haud tamen eas amplectetur artes, quæ diuerſi generis atq; ordinis ſunt. Hunc Saulius compellauit his uerbis, *Ex ijs quæ abs te dicta ſunt Andrea clariſſime, facilè concludere nobis licet, nullam artem eſſe, quæ cunctas artes capiat aut pariat; quandoquidem eas quæ alterius claſsis ſunt minimè complectitur.* Cui Camutius, *ſic mihi quidem uidetur.* At Saulius ait, *Nullus igitur cuiuſuis artis magiſter nos planè docere poterit, quo ordine ſingulæ facultates collocandæ ſint.* Nam *ſi is, quẽ huius ſcientiarum ordinis magiſtrum eſſe uolumus, peritus ſit præclariſsimæ ſcientiæ, quæ res ſibi aſſumit; is ſanè eas artes redigere in ordinem poterit, quæ quidẽ de rebus ſunt, eas uerò quæ in cogitatis comprehenſionibusq; animi noſtri poſitæ ſunt facultates nec intelliget, nec certo ſtatoq; ordine digerere poterit.* E *regione, qui inſtructus eſt facultate aliqua, quæ uel cæteris antecellat dignitate artibus, in quibus de animi noſtri inuentis agatur; is profectò cunctas rectè diſponere, & certa idoneaq; ſede ſtatuere facultates poterit, quibus noſtræ mentis cogitationes tractantur: eas uerò diſciplinas, quæ ad res accõmodantur, ignorauerit, & quemadmodũ diſtribuere eas conueniat, penitus neſciuerit.* Vix dicendi finem fecerat Saulius, cum Pomponius Cuſanus *iuriſconſultiſsimus et perurbanus uir inquit, Quid obſtat quominus is qui ſcientiam aliquã a rebus ortã atq; in rebus poſitã callet, etiã facultatem quæ noſtrarum inuentionum ſit, teneat? itaque idem faculta-*

tes utriusque generis atque ordinis ſapiat atque congruè collocet? Quòd ſi hominibus utriusque generis diſciplinarum poſſeſſione interdictum non ſit, quis fieri poſſe neget, ut unus idemque uir proprio loco ſingulas diſciplinas, ſiue rerum ſiue cogitationum noſtrarum ſint, conſtituere ualeat? In Pomponij ſententiam Curtius ſe ueniſſe retulit, quare etiam cum Pomponio ſentiret, eundem hominem artes utriusque claßis ſapere, atque aptè diſtinctéque eas diſponere poſſe hoc probauit argumento. Quòd qui naturæ ſcientiam, metaphyſicam ſapientiam, theologiam, medicam facultatem, quæ diſciplinæ ſibi res aſciſcunt & ſubijciunt, aſſequi ſtudent, ij priùs in grãmaticam, rhetoricam, & dialecticam operam conferunt: quæ artes & ipſæ animi inuentiones ſunt, & in inuentionibus animi uerſantur. Quod cum ita ſit, planè conſtat, eundem hominem, qui ſcilicet non niſi perſpectis cogitationum animi facultatibus diſciplinas rerum comparare re uera poßit, uniuerſas artes & conſequi, & ordine locare poſſe. At ſenior Caſtilioneus ait, An is etiam, quem & dialecticum, & rhetorem, & philoſophum, & theologum ſimul eſſe das, ciuilia & pontificia iura, ac ſacroſanctas inſtitutiones ſimul neceſſariò tenebit? atque in propria ſede ſtatuet? Hoc illi reſponſum Curtius dedit, Equidem non negauerim eundem hominem, qui philoſophus ſit, iuris ciuilis atque pontificij ſcientiam tenere: nam quid aliud legũ inſtitutiones præceptaque ſunt, quàm diſciplina morum? quæ tradita eſt ab Ariſtotele in libro ethicorum & politicorum. Quin etiam iureconſulti omnes uno ore dictitant, legum præceptiones philoſophiam aut philoſophiæ partem eſſe: theologiam uerò a ſacris

literis ſeducere atque diſtinere quis poterit? Cum uerò philoſophum, & rhetorem, & dialecticum eſſe neceſſe ſit, eundemque philoſophum morum diſciplina, ac uitæ præceptis, ſanctisque legibus imbutum eſſe conueniat; ex ijs facillimè conuincitur, iuriſperitum non modò philoſophum, uerumetiam & oratorem & logicum eſſe oportere. Ra*uerta qui ſe rhetoricæ facultati & præceptis ethicorum penè totum tradiderat, inquit,* Memini *me legiſſe apud* Ari*ſtotelem in primo libro rhetoricorum ad* Theo*decten, rhetoricam eſſe propaginem quandam dialecticæ & morum diſciplinæ: quæ ſcilicet hominum affectus & ciuilem ſcientiam attingat; adeo ut oratores ſe iuris ciuilis facultatem conſecutos opinentur: ex quibus uerbis ſapientiſsimi philoſophi oratorē ciuilis diſciplinæ peritum eſſe oportere facillimè conſtat: haud tamen inde colligitur, iureconſultum rhetorica ſcientia imbutum eſſe debere.* Stibius *uerò ait, rhetorem quidem legibus inſtructum eſſe oportere authore* Ari*ſtotele, teſtatus es, ſed qui futurus philoſophus eſt rhetoricam didicerit neceſſe eſt, igitur philoſophus legum inſtitutis & præceptis initiatus ſit neceſſarium eſt: ex quo liquidò patet morum ſcientiam ad philoſophos in primis pertinere: nec nobis curæ ſit, an iureconſultum rhetorum artem perſpexiſſe, an contrà rhetorem iuris ſcientiam adeptum eſſe ſtatuendum ſit.* Barcellus *hæc uix ſatis cum taciturnitate & ſilentio audire potuit: ac niſi modeſtia, quæ natura inſita in eo erat, ipſum repreſsiſſet detinuiſſetque, haud ſanè modum finemque ſermonis, quē non modò* Stibius, *uerumetiam* Rauerta & Curtius *paulo ante habuerunt, præſtolatus eſſet: attamen ſimulatq; fari potuit, hæc liberiùs protulit.* Rur*ſus eodem reuol-*

uimur, idemque in diſcrimen nos demittimus, quod euaſiſſe opinabamur. Nam cum *antea certatum inter nos eſſet, unusne atque idem uir uniuerſas diſciplinas & ſapere & ordine ſituare locareq; poſſet, an unus uir id non poſſet, ſed plurium uirorum id munus eſſet; dum nodum hunc diſſoluere curamus, iterũ incidimus in propoſitã quæſtionẽ, & pro diſſolutione ambiguitatẽ eandẽ iteramus: dum disquirimus, ſingularisne hominis, an multorũ hominũ partes ſint, hoc exequi et perficere opus, quod iamdudũ machinamur & molimur.* Nam *dum alius eundem hominẽ artes callere affirmat, alius negat, id eſt rem quæ erat in controuerſia, de qua priùs deliberandum erat, iterum uocare in quæſtionem.* De *hac ſanè re ineundum nobis conſilium eſt, an ſoli cuipiam homini & dignoſcere & diſponere diſtribuereque omneis artes integrum ſit, an hoc ad plures artium magiſtros pertineat: atque reddenda ratio eſt, quare uel ſingulorum hominum, uel multitudinis hoc munus eſſe ſtatuendum ſit.* Betuſſius *uerò, qui poëtæ id munus eſſe contenderat, ait,* Id *etiam ijs quæ a* Barcello *dicta ſunt adijciendum eſſe mehercle exiſtimo, ſi ſingularem hominem cunctas artes tenere conſtiterit, quo nomine appellandus is ſit, poëtane, an philoſophus, an alterius artis ſciens: atque quæ facultas tandem in cauſa ſit, ut cũctarum facultatum aliquis & doctus & iudex haberi debeat.* Quod *ſi plures homines hoc ipſum quod exquirimus et cernere et decernere oportet, quinã ij demũ ſint, et quarũ facultatũ ope & uirtute reliquas artes et poßidere et diiudicare queant, ac unamquamque earum propria in ſede locare ualeant.* At, *inquit* Tonſus, *hoc negotium ad exitum nullo unquam tempore perducetur: etenim, dum*

no lum aliquem expedire atque euoluere tentamus , ſex-centos nectimus nodos , atque (ut quod ſentio uobis pa-lam ſit) ſtruere ſcientiarum ordinem promiſcuo & per-turbato, uel potiùs diſsipato quæſtionum ordine conamur: ut ſimul & aſpernari , & perquirere , ac ſequi ordinē uideamur. Quapropter id unum a uobis contendo, ut omiſſis captiunculis & argutijs , iam tandem in medium con-ſulatis , quem ordinis moderatorem , præceptoremque , aut quos diſtributionis artium authores eſſe ſtatuatis : ut tandem metam attingere ualeamus. Vtque quæ ſit no-ſtri animi ſententia planè aperiam , equidem a philoſo-phis nos commodiùs faciliùsque diſcere poſſe hanc ordinis legem & rationem opinor : ſiquidem philoſophi rerum principia ac cunctas ab ipſis principijs procreatas res ſa-pere ſe arbitrantur , ac omneis facultates adeptos ſe eſſe profitentur , atque non tantùm hoc eos ſibi quodam modo ſuo iure uendicare, ſed etiam ab alijs aliarum artium pro-feſſoribus id ipſis tribui philoſophis ſæpiſsime audiuimus. Quare libet mihi Andream Camutium præclariſsimum philoſophum de hac re percontari , a quo quidem nos di-ſcere poſſe quod quærimus ac ſcire cupimus haud dubiè confido. Hunc ergo ordinis antiſtitem abs te creari An-drea optimè uelim ; atque in ſpem uenio fore , ut quem ipſe delegeris uirum, a quo ordinem nos accipere & doce-ri poſſe conſtitueris , ab omnibus Academicis admittatur laudeturque. Camutius non leue ſibi impoſitum eſſe onus aiebat : ſed ut ad præſcriptum ageret , ſe breuiter ſui animi ſententiam explanaturum inquitq;, Ego , ut inge-nuè fatear , unicum uirum ſcientiarum ordini præeſſe debere , eundemque artes aptè congruenterque diſpe-

ſcere & diſponere poſſe ſtatuo : ſiquidem ſingularem eſſe oportere iudicem opinor , ut optimè Raueslatus *teſtimonio* Ariſtotelis *aſſeuerauit*. Cui Barcellus, *quo nomine hunc uirum appellas? atque qua magiſtra & duce diſciplina id facturum hominem exiſtimas?* Tum Camutius , *theologum hunc eſſe oportere cenſeo , & præcipiente theologia id ipſum commodè executurum eſſe autumo.* At *ſubiicienda , inquit* Barcellus , *ratio eſt, quare id propriè ad theologum ſpectet, & theologiæ ductu id quiſquam præſtare ualeat : atque iſtuc erat, quod pauloante exquirendum & retractandum a nobis oſtenderam. Sed Camutius hac oratione ſe , ſimul &* Barcellum , *atque reliquos omnes qui aderant uiros expedijt.* Rectè *tu quidem prudens iuuenis a me cauſam requiris, quamobrem digerendarum diſponendarumque artium munus ipſe theologo delegarim, atque hanc uim poteſtatemque diſtribuendarum diſciplinarum in theologia poſitam eſſe retulerim.* Equidem *exiſtimo huic uiro notas perſpectasque eſſe oportere artes, qui eas ordine collocare inſtituerit. Cum enim aliæ primum ſerie atque ordine, aliæ ſecundum, quædam tertium, atq; aliæ alium deinde locum res poſtulent, quæ primam, quæ ſecundam, quæq; aliam ſibi ſedem res aſciſcant priùs nobis uidendum eſt, quàm ut qui in eis rebus ineſt ordo appareat. Gorla uerò ait, qui quid primum, quidq; deinceps ſit ſpectat, is nihil aliud, quàm ordinem mihi ſpectare uidetur.* At , *inquit* Camutius, *qui quid primo loco, quidq; ſecundo loco ponendum ſit animaduertit, res ordine collocandas ſpeculatur , quæ quidem diuerſæ ab ordine ſunt, mox ordinem aſſequitur, qui e veſtigio cognoſcitur , perſpectis ijs rebus,*

quæ

quæ ordine diſtributæ ſunt: quemadmodum quæ res differunt inter ſe priùs perſpiciendæ ſunt, quàm diuerſitas differentiaue intelligatur, qua quidem res ipſæ diſcernuntur: ita tamen, ut ſimulatque aliquis res ipſas diſtinctas diſcretasque uiderit, diſcrimen ipſum intueatur, quo quidem res ipſas diſsidere & diſcrepare inter ſe ſentit. Ac licet diſcerni diſcrimine, & differre differentia res cenſeantur; tamen potiùs a rebus ipſis diuerſis diſcrimen diuerſitatē q; fluere, quàm a diuerſitate diuerſas res tenendum eſt. Itaq; a diſpoſitis rebus diſpoſitionem atque ordinem trahi putandum eſt: quare eas ipſas res utpote efficientes ordinis, priusquam ordinem ipſum nos uerſare animo operæpretiū eſt. Quamobrem antequam qui ordo ſit diſciplinarum a nobis ſpectetur, quò quæque loco conſtituenda ars ſit animaduertendum perpendendumque eſt: at non niſi perſpectis ipſis facultatibus, quæ quibus artibus ſedes quadrent noſce poſſumus: ergo priùs artes ipſas nouiſſe oportet, quàm qui in eis ordo eſt, intelligatur. His Binaſcus ita occurrit. Plærique adoleſcentes priùs logicam, deinde phyſicam ſcientiam, tertio loco medicam facultatem ſibi perdiſcendam eſſe, ita ut res eſt, intelligunt: quibus neque logica peſpecta eſt, neque cæteræ artes, quas ſibi ſtudio parandas eſſe certo ordine non ignorant. Idem ipſum equidem affirmauerim de quibusdā alijs diſciplinis, quæ ordine quodam diſtributæ inter ſe ſunt: e quibus quæ primo loco comparari debet, quæ deinde, ac quæ poſtremo exercenda ac ſtudio colenda ſit, uel hi perſpicuè intelligunt, qui nullam earum diſciplinarum ſummis (quod aiunt) labijs deguſtarunt. Qua quidem re efficitur, ut etiam non perceptis artibus, earum tamen ordinem digno-

ſcere nobis integrum ſit. Si, inquit Camutius, de incerta atque adumbrata rerum notione uerba facis, ſcitè loqueris: nam nihil prohibet, quominus aliqui imperiti artium dubia atque incerta quadam ratione cognoſcant, qui ordo in tractandis ipſis artibus & diſciplinis ſeruari conſueuerit: quandoquidem id ex alijs præceptoribus acceperint, quibus uiris fidem habeant. Quos quidem ſiquis roget quid cauſæ ſit, quamobrem antè in logica facultate quàm in phyſica ſcientia uerſari atque elaborare nos oporteat, quid reſpondeant nihil habebunt. Etenim quonammodo homines ignari harum artium quid in illis facultatibus tractetur ſcire poterunt? ac quæ artium materies quam aliarum diſciplinarum ſupellectilem anteeat animo luſtrabunt? Si uerò de haud dubia rerum ſcientia quæritas, de qua quidem nobis ſermo eſt, equidem priùs artium quàm earum ordinis certam ſcientiam nos tenere affirmo. Cum enim facultates ipſæ ordinem pariant, cumque authores ſiue cauſæ rerum priùs nobis conſtare debeant quàm res ipſæ a cauſis procreatæ, quis non uidet facultates proprio ordine priores eſſe? ac priùs re uera a nobis perſpici, quàm eum ipſum ab ipſis facultatibus eductum, ſatumque ordinem? Cui Goſelinus ait, Dum tu hanc ſedare controuerſiam ſtudes, non id efficis quod facere inſtituiſti; ſiquidem hac diſſolutione tua illud tanquam ratum firmumque eſſe ſtatuis, uirum aliquem cunctas artes animo aſſecutum complexumque eſſe: neque enim unicus iudex omneis diſciplinas ducere in ordinem queat, niſi uniuerſas calluerit diſciplinas: nam priùs compertas perſpectasque huic artium diſpenſatori rectorique facultates ipſas eſſe iubes, quàm ut eas

certa lege ſerieque diſponat. Atqui id erat in contro-uerſia, an unicus uir cunctas artes ſapere poſsit nec ne: tu uerò perinde de hac re loqueris, ac ſi inter nos conſtaret, atque planè iam probatum eſſet, unico uiro cunctas diſciplinas ad unguem cognitas eſſe. Illud mea quidem ſententia priùs commonſtrandum eſt, ſingularem uirum omnium artium ſcientem eſſe, præſertim cum de hac re parùm conuenire inter homines nõ ignores: atque plures fortaſſe, qui a te diſſentiant, quàm qui tibi aſſentiantur, eſſe intelligas. Itaque non tu mihi diſſoluere quæſtionem, ſed rem uocare in quæſtionem uideris: ſiquidem is tollere controuerſiam & ſedare litem meo quidem iudicio exiſtimandus eſt, qui ambiguitates ex animis hominum adimit, atque impeditos, ac ueluti inuolucris & tricis implicitos animos expedit, ſolutosque ac liberos eos reddit. Nihil enim aliud eſt diſſoluere quæſtionem, quàm ancipites animos ac quæſtione implicatos, tanquam nodis inuolutos, euoluere atque expedire. Cui Camutius; igitur ut eorum animis qui uincti impeditique ſunt, uincula demamus, breuiter docebimus quemadmodum etiam ſingularis uir cunctas facultates ſapere poſsit, quem theologum eſſe uolumus. Quemadmodum nemo ad ſummum ſcalarum gradum euaſurus, eum attingere poteſt gradum, niſi cunctos, qui inferiùs eo ſidunt, gradus priùs attigerit traieceritque; ſimili modo nemo ſummam ſapientiam aſſequi poteſt, niſi cæteras, quæ infra eam ſunt, fuerit artes conſecutus. Cum uerò theologia in ſumma dignitate conſtituta ſit, & tanquam in arce ſedeat, utpote quæ ſummum rerum opificem, quo nihil excelſius excogitari poteſt, complectatur, atque attingere proxi-

mè omnium reliquarum ſcientiarum queat, neceſſe eſt, ut
qui theologus euaſurus eſt, priùs cæteras omneis adeptus
ſit facultates, quàm diuinam illam atque diuinitus homini-
bus comparatam ſapientiam deguſtare ualeat: id quod Ra
uerta, qui ſeſe theologicæ ſapientiæ adeo addixit & tra=
didit, ut plurimùm in ea profecerit, firmiùs apud animũ
noſtrum teſtatum relinquere poterit: idemque ſimul or=
dinem harum artium & nouit, & nobis illuſtrare atque
ante oculos ponere poterit. Sed Rauerta, qui nihil de ſe
magnificè loqui conſueuerat, atque uix ſe laudari a quo=
quam patiebatur, tu, inquit, Andrea feſtiuiſſime, diſſi=
mulanter ac cautè ſubterfugis laborem, atque hoc enodan=
di diſciplinarum ordinis munus ſumere tacitè recuſas: dum
id mihi delegare contendis. Sed quemadmodum tibi magis
idoneè quàm mihi hanc ſuſcipere prouinciam conuenit, ita,
ut æquum eſt, eam tibi a principe atque a commilitonibus
noſtris traditum iri confido. Quin potius hoc tibi obeun=
dum eſt munus, prudentiſſime Rauerta, inquit Tonſus
Academicorum princeps, tum quia te optimè omnium,
qui in hoc ordine ſunt, uirorum, theologicas inſtitutiones
luſtrare animo omnes uno ore fatentur, tum uerò etiam
quòd ipſe cunctas diſciplinas agitandas inter nos, ac uni=
cuique de ea præcipuè, quam norit artem, diſſerendum
eſſe monuiſti: quemadmodum igitur quid cuique faciendũ
ſit, ſuaſiſti, atque nemine refragante id quod inſtitueras
cunctis perſuaſiſti, ita quem inſiſtere callem, quaque uia
pergere nos operæpretium ſit, hoc eſt quo ordine pro=
grediendum unicuique ſit, te nobis aperire æquum eſt.
M. Antonius Maioragius, qui ſupra contenderat, oratoris
partes eſſe de ordine cunctarũ diſciplinarum diſputare, nec

minùs Goſelinus ac Betuſsius cæterique uiri, qui hunc ipſum pertractandum diſciplinarum ordinem a poëta eſſe aſſeuerabant, neque non reliqui Academici tandem in ſententiam Andreæ Camutij uenerunt, atque id munus theologo demandandum eſſe omnes uno ore retulerunt. Itaque huius peroptati ordinis optimarum artium ducem & magiſtrum Rauertam & probauerunt & uno conſenſu creauerunt. Quod cum Rauerta ſenſiſſet, magnum inquit mihi onus a uobis Academici uiri impoſitum eſſe intelligo, cui neſcio an pares uires geram: ſed tamen, quando ita uos decreuiſtis atque ſanxiſtis, non poſſum non agere ad præſcriptum, ac ueſtræ morem gerere uoluntati. At uereor ne uos citiùs pœniteat ueſtræ deliberationis atque conſilij, quàm ipſe dicendi atq; texendi inſtituti ordinis finem faciam: ne tamen hac excuſatione detrectare laborem hunc exiſtimer, incipiam. Quoniam rerum ſcientia trahitur ab ijs ipſis rebus, quas quidem ſibi aſciſcit ſubijcitq; ſcientia, ut probè Camutius ait, atque ut ex libro Periherme nias, alijsque ex uoluminibus Ariſtotelis nobis planè datur intelligi, iccirco pro uarietate dignoſcendarum rerum notitiam ipſam expendere & excogitare ſolemus, id quod Ariſtoteles ſexto libro diuinæ ſapientiæ preſtitit: quippe qui ita diſciplinas notionesque rerum diduxit partitusq; eſt, quemadmodum res ipſæ ſeiunctæ diſtributæque inter ſe ſunt. Tum Ranerius inquit, Quoniam Ariſtoteles a uobis philoſophorum deus habetur, ſatisfiet a te omnibus opinor, ſi ea quæ ab Ariſtotele dicta ſunt in hanc ſententiam recitaueris: ita nanque id quod quærimus de diſponendis atque collocandis ordine facultatibus axpreſſeris, atque ſi uel tantùm philoſophi ſcripta retuleris, usque

adeo tuum munus fueris conſecutus, ut nemo noſtrum diligentiam aut prudentiam tuam ultra deſideraturus ſit. Cui Rauerta *, ſi omnes inquit facultates de quibus a nobis habendus eſt ſermo, certa lege ordineque ab* Ariſtotele *eò loci memoratæ eſſent, ſatis ſuperque nobis forent uerba philoſophi, nec quicquam nobis ultra requirendum eſſet, quod ad enumerationem ordinemque earum artium ſpectaret, ut ipſe doctè atque acutè retuliſti: ſed ſic exiſtimes uelim, neque eò loci cunctarum diſciplinarum meminiſſe* Ariſtotelem*, neque de earum ordine ipſum eſſe locutum. Quid ais? inquit* Caſtilioneus*, nonne* Ariſtoteles *ſexto libro metaphyſicæ, quot numero ſunt earum quæ ſunt rerum genera memorauit? ac totidem numero facultates eſſe tradidit? Quemadmodum itaque omnia rerum genera oratione perſtrinxit, ita omnes facultates attigit oratione.* Rauerta *uerò ſe* Caſtilioneumque *hoc ſermone expediјt. De ijs quæ certo actu conſiſtunt rebus generatim dictum eſt ab* Ariſtotele*, ac ſimul de earum rerum facultatibus, quæ quidem & ipſæ in uniuerſum & generatim accipiuntur, ab eo ſcriptum eſt: ſed neque de ijs, quæ particulatim ſumuntur, & rebus, & diſciplinis, neque de ijs rebus, quæ inſident in animo, neque de earum rerum diſciplinis diſſeruit philoſophus. Quare ſi nobis animus eſt uniuerſas facultates complecti atque redigere in ordinem, & alia rerum genera, quæ omiſſa ſunt ab* Ariſtotele *ſexto libro diuinæ ſapientiæ, uerbis nos conſequi operæpretium eſt, & ea ipſa de quibus philoſophus ibi egit, preſſiùs acutiùsque ponderare nos oportet, quàm ab ipſo philoſopho explicata ſunt, qui ea generaliter latiſſimèq;*

ſumpta perſecutus eſt oratione. Atque *ſingulis tum generatim tum particulatim acceptis generibus, rerum ſingulas propriasque accommodare diſciplinas nos conuenit, atque hac ratione cunctas facultates artesque commemorauerimus. Si uerò etiam rerum ipſarum ordinem patefecerimus, & quæ quibus uel uetuſtate uel natura priores ſint docebimus, ſimul & quo ordine diſponendæ artes ſunt liquidò cuique ueſtrum patebit: ſi enim ita artes inuicem componuntur, quemadmodum res artibus tractatæ inter ſe conferuntur, illud quoque haud dubiè affirmandum eſt, ita artium dignitates gradusque, ſiue antegreſſas aut conſequentes facultates conijci comparari que inter ſe oportere, ſicuti rerum ipſarum, quæ ſe ijs artibus ſubijciunt, præſtantia, atque antegreſſio, uel acceſſio conſecutioue perpendi, atque extimari conſueuit.* Huic Raueslatus *ita occurrit. Si uera hæc eſſent, neceſſariò efficeretur, ut theologia, quam ad poſtremum nobis comparari, quamque omnium aliarum diſciplinarum & ſupremam & poſtremam eſſe nobis a* Camutio *perſuaſum eſt, ante omneis alias artes a nobis diſcenda foret: itaque non ultima ſed longè omnium ſcientiarum prima ordine eſſet: nanque in ea de* Deo opt. *agitur, qui primus rerum omnium eſt.* Rectè *ais, reſpondit* Rauerta*; nam ſi certum atque ſuum naturæ rerumque, atque facultatum ordinem ſpectemus, &* Deus *max. rerum omnium primus, & diuina ſapientia, theologia ſcilicet, cunctas alias facultates ordine antecedere uidebitur: ſi uerò uires animi noſtri conſulamus, præpoſtero ordine theologiam ad ultimum diſcemus.* Atque, *ut rem ipſam planiùs aperiamus, illud non ignorandum eſt,*

quò quid ſuapte natura & antiquius & manifeſtius eſt, eò nobis & ſeriùs et obſcuriùs aliquoties notum eſſe: quippe qui nihil non ſenſu perceptum animo peruidere ualemus, ut author eſt Ariſtoteles: *adeo, ut duce ac præuio ſenſu duntaxat res ſapere & intelligere queamus: porrò ſenſus non niſi quæ poſtremò a natura edita procreataq; ſunt aſſequuntur, quod genus ſunt corporum affectus, quibus ſenſus pertentari ſolent: qui quidem affectus, ut poſtremò a natura progeniti, ita primò a nobis cogniti ſunt.* Cauſæ *uerò quæ proximæ naturam ſunt, ac ſuapte ui & natura perſpectæ ſunt, eò quia ſe noſtris ſenſibus hebetioribus ſcilicet inuias præbent, ac uix ab excellentibus & penè diuinis animis perſpiciuntur, ut antecedunt eos ipſos, de quibus nobis ſermo eſt, affectus, ita ſeriùs difficiliùsque a nobis dignoſcuntur: quippe qui præ hebetudine ſenſuum difficilè aciem mentis in rerum cauſas dirigere ac figere poſſumus.* Ex *ijs ſatis cuique perſpicuum eſſe opinor, haudquaquam nobis eundem in tractandis diſci plinis tenendum eſſe ordinem, quem in progenerandis rebus ſeruauit natura: ſed potiùs inde nobis auſpicandum atque faciendum diſcendi initium eſſe, quò natura exijt terminataque eſt: atque id poſtremò perueſtigandū, quod primo ab ipſa parente rerum omnium natura ſatum comparatumque eſt.* Quod *cum* Deus *opt. res cunctas, & quæ progenitæ ſunt, & quæ immortalitate æternitateq; fruuntur, longo antecedat interuallo, fit, ut ad poſtremum a nobis perſpici poßit, quare theologiam, in qua de* Deo *opt. agitur, iure poſtremo loco comparare nos oportet.* Saulius *hæc obiecit* Rauertæ *orationi. Si ita ut ipſe dixti, res eſt, priùs igitur* Ariſtoteles *libros de animantibus, quã*

eos qui de cauſis animalium atque de anima ſunt, edere debuit: quandoquidem ſeriùs animantes quàm animalium cauſas animamque natura rerum procreat: atque ſenſu animalia aſſequimur, eorum uerò cauſas animamque ſenſu minimè colligimus. Itaque eo ordine texere libros opus eſt, quem quidem ordinem nos ſequi oportere memoraſti: at contrà, atque longè diuerſo ordine conſcriptos collocatosq; eſſe libros, in quibus ijs de rebus quæ ad animã animãtesq; ſpectant, ab Ariſtotele agitur, teſtis eſt Auerroes in commentarijs in primum librum meteororum Ariſtotelis; quæ cum ita ſint, haud ſanè inde capere nos initium oportet, quò poſtremò deducta eſt rerum natura. In Saulij ſententiã Gorla quoque hæc adiecit, Nonne quæ in libro de phyſico auditu perſcripta ſunt ab Ariſtotele, hoc eſt uniuerſa rerum primordia, magis fugiunt hominum ſenſus quàm ſimplicia mundi corpora ſiue elementa? de quibus in uolumine, quod quidem de cœlo & mundo inſcriptum eſt, idem philoſophus egit: ueruntamen ea quæ ſe ſenſibus obſcuriora exhibent principia rerum, priùs executus eſt philoſophus, quàm elementa, quæ ſenſibus captare ualemus. Quæ item in libro de ortu et interitu exarata ſunt, hoc eſt motiones progenerationis atque cuiusuis natiuæ cõmutationis magis in obſcuro ſunt ſenſibus quàm quæ in elementis affectiones progignuntur, de quibus in libris meteororum actum eſt: nihilominus liber de ortu & interitu præit anteceditque meteororum librum. Huic aſtipulatus eſt Raueslatus, qui Galenum atque Auicennam præſtantiſſimos medicos primo quidem loco de elementis tanquam medicæ artis incunabulis egiſſe inquit, quorũ ſcilicet partes ſunt ea duntaxat exequi, quæ ad ualetudinem eamque

*& commodam & incommodam corporibus attinent: quapropter haud eos quidem a principe materia principeq́; forma, inſtar Ariſtotelis, præcepta medicæ artis exorſos eſſe: quandoquidem hæc principia alieniora ſunt ab incolumitate ægrotationeque hominum, ſiquidem huiuſcemodi affectus proximi elementis ſunt, atque ab eis tanquã a iuncta affinique cauſa procreantur: quocirca iure optimo ex ijs initijs ceptum opus ab optimis ſapientiſſimisque medicis eſſe, qui quidem ubi elementa oratione complexi ſunt, temperiem quæ a congreſſu elementorum educta eſt, oratione perſecuti ſunt, atque ita gradatim alias deinde alias tractationes texuerunt: ita tamen ut eos priùs qui natu maiores, uetuſtioresque ſunt, poſtea recentiores naturæ partus tradiderint: adeo, ut a cauſis in opus, non ab opere in cauſas eos deduxiſſe orationem perſpicuè appareat. L*udouicus* F*errarius, qui ſe mathematicis diſciplinis totum tradiderat, plurimumque in eis profecerat, idipſum, inquit, in matheſibus uidere eſt, præſertim in eo opere, quod ab* E*uclide diuinitus conſcriptum eſt: is profectò tanta diligentia & cura ordinem ſecutus eſt, ut nihil in eo homine atque in eo opere deſideretur. Pluraque additurus erat, quibus propoſitum confirmaret, ni* R*auerta, & iuuenem laudaſſet, & uera perſpicuaque omnibus idoneis authoribus quæ ab eo dicta erant, teſtatus eſſet: adieciſſetque, nihil opus eſſe longiori oratione ad ea oſtentanda, quæ nemini occulta eſſent.* F*ranciſcus* B*oſcius iureconſultus non indiſertus facere non potuit, quin hæc liberiùs proferret.* P*hiloſophi iureconſultos inſimulare atque notare ſolent, quòd uerboſiores atque litibus, plusquam par eſt, intenti plures quæſtiones agitare conſue-*

uerint: uerùm hoc ipſis philoſophis potiùs crimini dandum eſt, quod illi nobis uitio uertere ſtudent. Nam, *quod pace ueſtra dixerim doctiſsimi uiri, qui in philoſophiæ ſtudijs uerſati eſtis, nihil mihi prolixius ac uerboſius oratione ueſtra uidetur: cum. n. uobis propoſitum ſit de ſingulis loqui diſciplinis quas quiſque ueſtrum poßidet, ſatis adhuc ſuperque diſputaſtis, ac totum hunc diem contriuiſtis, neque quicquam de rebus ipſis, de quibus uobis futurus ſermo eſt, locuti eſtis, tantummodo in perquirendo ordine rationeque tractandarum earum artium occupati: quodque ferendum non eſt, uix ordinem rationemque collocandarum diſciplinarum explicare cepiſtis, quem tam multiplici uarioque ſermone a uobis turbari ordinem tractandarum artium animaduerti, ut prope deſperem impoſitum iri finem ſuſcepto negotio.* Q*uod ſi hæc diſciplinarum diſtributio tam longa oratione explanatur, quid cum de ſingulis diſciplinis uerba facietis? quando hanc materiam oratione complexi eritis? aut quem finem huic ſermoni futurum ſperemus?* Q*uare ubi de re leuißima tam multa uerba facitis, aut deſinite poſthac nos tanquam loquaces ac litibus ſtudentes accuſare, aut nolite gloriari ueſtro breuilequio: aut, ſi neutrum horum uobis cordi eſt, diſcite eſſe breuiores, ac parciùs quàm ſoletis diſſerite & diſceptate de propoſitis rebus, ijs præſertim quæ leuiores ac parui momenti & ponderis ſunt.* Huius *orationi a* Camutio *ita reſponſum eſt*, Studium *oſtentandi ingenij in cauſa eſt, ut homines ſæpius quàm conueniat inter ſe diſceptantes nullum decertandi finem faciant, ut pulchrè teſtatus eſt* Ariſtoteles *in problematis: eaq; re fit, ut & iureconſulti, et qui philoſophiæ dant operã, et qui*

cæteras facultates profitentur, crebriùs atque longiori oratione contendere inuicem conſueuerint: ſi tamen quatenus trahere ſermonem unaquæque facultas doceat ſpectemus, philoſophiam maximè omnium diſciplinarum abeſſe a loquacitatis uitio inueniemus: quippe quæ omißis omnibus fucis atque diuitijs uerborum, his dumtaxat quæ ad illuſtrandam ueritatem neceſſaria ſunt uerbis inſtructa, ac non ornamentis orationis ſed grauitate ſententiarum freta, tectiores ſenſus eruere, ac abditas naturæ uires detegere conatur: quòd ſi qui philoſophi uerboſiores quàm neceſſe eſt, uidentur, id non artis quam profitentur, ſed hominum uitio fieri exeſtimandum eſt. Neque tamen ego *iccirco reprehenderim prolixam orationem quæ de diſciplinis, ac de diſciplinarum ordine, atque diſtributione, atque de ratione diſtribuendarum artium hoc loco habita eſt: ſiquidem non adeo leuis hæc ipſa res eſt, quam ipſe leuißimam eſſe prædicas.* Atque *ſubnectere rationem propoſitæ rei parabat, niſi a* Stibio *admonitus fuiſſet, uti caueret, ne dum philoſophos abhorrere a dicacitatis uitio oſtenderet, ipſe dicacitatis uitium effugere nō poſſet: atque dum philoſophiam tegere ſtuderet, grauiùs ipſam, quàm aduerſarii, læderet, ac non pro philoſophis, ſed contra philoſophos diſſerere uideretur.* Tandem R*auerta, meæ, inquit partes ſunt, id quod petentibus uobis pollicitus ſum, pro uiribus præſtare, quod libentißimè facturus ſum, ſi id mihi per uos facere licebit, hoc eſt, ſi quod inſtituimus pergere nos ſiueritis.* Tonſus, *quem in principatu conſtitutum diximus, perge inquit quod cepiſti optime* Rauerta, *ac ſuam cuique facultati ſedem dedica.* Vos *uerò* Academici *uiri etiam atque etiam rogo,*

147

ne differentem atque redigentem in ordinem facultates interpelletis impediatisque. Tum Rauerta, *Imo uerò inquit, ſiquid in dicendo offendero, a uobis corrigatur uelim: illud tamen ſinite uti uos exorem, nequid præter rē nobis obijciatis, ſed tantùm quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent, afferatis: ut breui abſoluere id quod cepimus queamus.* Priùs tamen quàm quod *inſtituimus perſequamur, diſſoluenda ſunt argumenta, quibus* Saulius, Gorla, Raueslatus, Ferrarius *probarunt, potiùs inde nobis ordiendū eſſe, unde ſumpſit natura initiū generandarū rerum, quàm inde auſpicandum, quò natura ad poſtremum exijt perductaque eſt: quibus ſanè argumentis hi primā theologiæ ſedem dicandam, atque primo de ipſa theologia diſputandum nobis eſſe contendunt: quam quidem diuinam ſapientiā nos in ſuprema ſede collocari oportere diximus, quamque ad poſtremum a nobis ſpectari ac luſtrari debere aſſeuerauimus: atq; unica ratione ueſtra argumenta omnia me refellere aut ſoluere poſſe confido.* Sanè *multa de ordine & ratione tradendi diſciplinas a ſapientiſſimis philoſophis memorata ſunt non ſine ingenti eorum diſſenſione & controuerſia: nanque alij aliam ineundam eſſe rationem docendi, aliumque ſequendum diſciplinarum ordinem retulere, quamobrem uerò ipſi tantopere contenderint decertarintque inter ſe, illud cauſæ eſt, quòd* Ariſtotelem *omnium philoſophorum ſine controuerſia principem alio atq; alio ordine texuiſſe admirabile opus de naturali hiſtoria perſpexerunt.* Nam *modò a primarijs cauſis duxiſſe initium, atque gradatim proceſſiſſe inſtar naturæ rerum, modò contrà atque præpoſtero ordine ex eo opere ſumpſiſſe principium, quod natura ſeriùs poſteriùsq; edidiſ-*

ſet, animaduerterunt. Neq; mihi animus nunc eſt ſingula loca recitare, e quibus utraq; progreßio philoſophi colligi poſſit: ſiquidẽ plærisq; hominibus, qui Ariſtotelicos *libros uerſare ſolent, hæc quæ diximus in confeſſo ſunt.* Nunc *ueſtræ obiectioni breuiter occurrere inſtituimus.* Ordo *& diſpoſitio artiũ aliquoties ijs in rebus uerſatur, quæ quemadmodũ natura aut antecedentes aut ſubſequentes aliarũ ſunt, ita nobis aut citiùs aut tardiùs perſpiciuntur: cuiuſmodi mathematicæ res ſunt, quarũ ut quæq; natu maiores, ita nobis illuſtriores clarioresq; ſeſe oſtendunt: ut recte* Ludouicus Ferrarius *locutus ſit, qui* Euclidẽ *mathematicorũ* Deum, *& ordinis obſeruantißimũ fuiſſe, & hunc quem diximus tenuiſſe ordinem inquit.* Idem *diſciplinarum ordo pluribus in rebus naturæ uiſitur, ut pulchrè a uobis uiri eruditißimi probatũ eſt.* Quandoq; *tamen longè diuerſo ordine nobis incedendum eſt; cum ſcilicet extrema opera naturæ nobis illuſtriora ſunt, quàm quæ priùs edita ſunt: ut meritò ab ijs rebus quæ nobis illuſtriores ſunt, naturæ uerò tectiores, inceptandum philoſophi dixerint.* Iam *uerò* Deus *opt. max. quem ſibi diuini theologi contemplandum propoſuerunt, nobis minimè omnium rerum perſpectus eſt, cũ pluribus alijs de cauſis, tum hanc potißimum ob rem, quòd propter hebetudinẽ imbecillitatemque animi noſtri uim diuini luminis neq; percipere neq; ferre poſſumus: ut meritò* Ariſtoteles *ſecundo libro diuinæ ſapientiæ, eodem pacto noſtri animi aciem diuino fulgori comparauerit, quò quidem modo noctuæ oculi cum ſolis lumine conferri debent.* Itaq; *ſatis uobis perſpicuum eſſe arbitror, & diuinum numen nobis admodũ occultum eſſe, & theologiam, in qua de* Deo *opt. agitur, nobis perdifficilem atq; perar-*

duam eſſe, adeo ut uix ullus nobis ad eam pateat aditus. Cum itaq; omnium difficillimã eam ſapientiam ipſe eſſe opiner, iccirco poſtremo loco de ea diſſerendum eſſe ſtatui: ſiquidem inde incipiendũ nobis eſſe dijudico, unde & facilior et expeditior nobis ſit aditus ad indagandam ueritatẽ. Hæc in medium adduximus, ut ueſtra argumenta diſſolueremus: nunc reliquũ eſt, ut ueſtra præcepta tandem exequamur, atq; diſciplinarum ordinem uerbis expediamus, quando ita uos uelle nobis compertum eſt. Quoniam priùs ſupellectilem inſtrumentaq; quæ ad exædificandum aliquod opus accõmodantur, nobis comparata ſint neceſſe eſt, quã opus ſuſcipiamus, ac ipſum fabrefacere & contexere inſtituamus, præſertim cum detractis ipſis inſtrumentis, opus ipſum neq; inchoare, neq; inchoatum perficere nobis integrum ſit, ea re nobis priùs conquirendas eas facultates ducimus, quæ tanquã famulæ atquæ inſtrumenta ad aliarũ diſciplinarũ uſũ aſſumuntur: ſi quæ tamẽ facultates aliarũ artiũ gratia ſũt, quã reliquas artes paremus, quarũ ſcilicet gratia famulas artes ueſtigandas eſſe narrauimus. Verũ tres mea quidẽ ſententia facultates in hunc ipſum uſũ inuentæ ſunt, dialectica, rhetorica, et poëtica: igitur has primo loco tractandas, ac prima ſede collocandas eſſe arbitror. Tum Philippus Binaſcus ait, *Vide etiam atque etiam doctiſſime* Rauerta *quid dicas, nam illud in quæſtionem uenit, an ſcilicet hæ ipſæ, quas alijs famulari artes præcipis, ancillæ aliarũ artium ſint: neque.n.* Betuſſius & Goſelinus, *alijq; nõ pauci, qui poëticã cæteris facultatibus præeſſe uolunt, id facilè ferent: neq;* M. Antonius Maioragius, *qui nihil nõ tribuit eloquentiæ, poterit nõ tibi reclamare atq; apprimè aduerſari:* Raueslaus *uerò*

qui logicam cunctis in rebus uerſari retulit, ſe tibi aduerſum præbebit. Cui R*auerta ait*, Nunc *ut has artes ſuis ſedibus conſtituere nobis liceat, demus ita eſſe, atque ternas facultates, dialecticam, rhetoricam, & poëticam ancillas aliarum artium eſſe ſtatuamus: ſed uerane ſit noſtra oratio, tunc cogitandum erit, cum de materia harum artium a nobis diſputabitur.* Huic Ferdinandus Abduen*ſis inquit*, Et *ſi admiſerimus, ut ipſe ais, treis facultates, utpote quæ ad aliarum uſum excogitatæ ſint, initio collocandas eſſe, attamen rurſus ſpectandum eſt, quænam ex ijs primam ſibi ſedem uendicet, quæ hanc proximè ſubſequatur, ac cui tertium locum tribuas.* Cui *hæc* Ra*uerta humaniſſimè reddidit*, Optimè *tu quidem* Ferdinan*de, atque in loco dubitas: equidem logicam primæ claſſis eſſe, ſecundam ordine rhetoricam, tertio loco poëticam artem ſtatuendam eſſe ſentio.* Tum Stibius, *quid iſtuc* Rauerta? *cur hoc ordine has facultates diſtribuis? nam ſi naturæ ordinem inſiſtis, neutra, neque dialectica, neque rhetorica natu maior antiquiorque altera eſt, ſed germanæ ambæ, atque tanquam gemellæ eodem partu editæ ſunt, ut colligitur ex uerbis* Ariſtotelis *in primo libro rhetoricorum ad* Theodecten, *quibus rhetoricam dialecticæ ex altera parte reſpondere ſignificat, ut interpretatus eſt* Ariſtotelis *orationem.* M. T. C. *quod cum ita ſit, quid cauſæ eſt, quamobrem primum locum dialecticæ, rhetoricæ ſecundam ſedem dicaris? cum perinde rhetorica atque dialectica primum locum occupare iure naturæ debeat? quod ſi non naturæ callem ſequeris, ſed ea ingreſſus es uia, unde res nobis faciliùs percipiantur, cum rhetorica cognitu facilior ſit quàm dialectica, quæ ſcilicet*

rhetorica

 149

rhetorica ars exotericis non acroömaticis ſcriptis adiudicata eſt ab Ariſtotele, ut Gellius teſtis eſt: potiùs primã rhetoricæ, dialecticæ alteram ſedem tribuere debuiſti. Huius ſermo tanquam rei de qua agebatur nõ diſſentaneus probatus eſt a Rauerta: qui tamen hoc reſponſo ſe expedijt. Rhetorica, ut ab eodem Ariſtotele in eodem rhetoricorum uolumine ſcriptum eſt, ueluti propago quædam eſt dialecticæ, & diſciplinæ morum, eiuſdemque dialecticæ facultatis particula, & ſimulachrum quoddam exiſtit: quod cum ita ſit, quis neget dialecticam, unde rhetorica ducta propagataque ſit, quamque eadem rhetorica imitetur, ſua & propagine, & imagine, hoc eſt rhetorica, priùs perſpiciendam eſſe? Sed tamen, quando nunc temporis decertandum nobis non eſt de hac materia, neque huic eſt quæſtioni locus, iccirco hanc omittamus diſputationem. Ne uerò nulla ratione de dialectica priùs colloquendum inter nos eſſe, quàm de rhetorica ac de poëtica facultate iudicaſſe exiſtimemur, paucis aperiam, qua ratione adductus, hoc ordine ternas animi facultates diſpoſuerim. Nihil prohibet aliquem optimè dialecticam ſapere, qui tamen oratoriæ facultatis minùs eruditus ſit: contrà fieri non poteſt, ut quiſquam bonus perfectusque orator exiſtat, cui non ad unguem dialectica perſpecta ſit: ſiquidẽ rhetorica dialecticæ ſimplici illi quidem, ac nullis neque textis neque ornamentis prætextæ atq; obuelatæ, multiplicem amictum atque plurima ornamenta adijcit: ut non modo Zenonis Stoicorum principis, ſed etiam Ciceronis, atque quorundam aliorum, eorundemque claſsicorũ authorum teſtimonio probatum eſt. Quæ tamen fuſiùs atque uberiùs a uobis, cum oportunum erit, tractatum iri

certò ſcio: atque ea re hæc ueluti per tranſennam percurro. Cæterùm cum in poëta oratoria uis, & nerui, & perſuadendi ratio requiratur; iccirco neceßum eſt poëtam eundem oratorem eſſe. Porrò quoniam rei oratoriæ poëſis imitationem, ac fabellas addit, ac ueluti appingit, hoc eſt alias adijcit ueſtes, aliosque ornatus & inſignia oratoriæ arti, iccirco tertio loco de poëtica a nobis agendum eſſe memorauimus. Hunc itaque nobis tenendum ordinem eſſe cenſeo; ut priùs de dielectica tanquam amußi & regula, qua ueritatem eruere ualemus, ut Philoponus ait, uerba facienda ſint, deinde de rhetorica, utpote quæ & germana logicæ artis ſit, atque illam nudam quidem, ac tantùm neceſſarijs rebus contentam opulentijs ditare, & decorare elegantia, & uenuſtate tentet; agere nos oporteat: tertio loco de poëtica arte, quæ rhetorum facultatem, ſiue diſſerendi rationem fabellis, ac ueluti picturis ueſtire & uariare nititur, habenda oratio ſit. Atque hæc ſatis dicta ſint de ijs artibus, quæ quidem penitus in animo inſident, atque in rebus animo obuerſantibus tantum poſitæ ſunt. Nunc quemadmodum diſtribuendas locandasq; eas facultates putemus, quæ non in inuentionibus cogitationibusque hominum, ſed in rebus a natura procreatis uerſantur, exponere decreuimus. Vbi treis animi facultates ſatis pro re & pro dignitate executi fueritis Academici uiri, mathematicas diſciplinas uobis pertractandas eſſe decerno. Cui Stephanus Spinula ait, Atqui matheſes primum ſibi locum aſſerere cenſentur, nam Platoni non niſi mathematicis imbuti facultatibus iuuenes admittebantur: ac conſtat illud inter omnes eruditos uiros, matheſes primò pueros edoceri conſueuiſſe apud Græcos omnium libe=

Digitized by Google

ralium diſciplinarum magiſtros, adeo ut iudicio & Platonis & reliquorum Græcorum mathemata etiam ternas animi facultates, hoc eſt dialecticam, rhetoricam, & poëticam meritò anteire debeant. Nobis modò curæ non ſit, inquit Rauerta, quæ quibus ætatibus hominum diſciplinæ a diuino Platone, atque ab antiquioribus Græcis traditæ ſunt: neq; enim nobis digerentibus ac diſponentibus ordine unamquanq; facultatem habenda ratio ætatum, a quibus percipiendæ artes ſunt: ſed elaborandũ eſt, ut quæ pariunt lucẽ alijs facultatibus priùs pertractentur artes. nam ſi quæ pueris magis idoneæ ſunt artes ſpectemus, cũ illi uigeant ſenſibus non animo, matheſes, quæ quidẽ oculis ſubijciuntur, quæq; non uſu atq; experimentis, ſed diſciplina tantùm colliguntur, magis conſentaneæ congruentesq; pue rilibus annis ſunt: cæterũ dialectica, ut quæ animo duntaxat perſpicitur, non puerili, ſed prouectiori ætati, uegetioribusq; animis cõparanda eſt. Quòd ſi quæ nobis uiam ad alias facultates aperiunt, diſciplinas primũ tradere inſtituimus, dialectica alias artes haud dubiè anteceſſerit: utpote quæ nobis præcipiat, nosq; cõmodè inſtruat, quemadmodũ in omnibus diſciplinis, id quod animo propoſitum eſt, colligere, ac uerũ indagare ualeamus. Huic ita occurrit Ranerius, Si, inquit, ſine dialectica uerũ in cæteris diſciplinis inueſtigare nobis negatum eſt, qui igitur pueri, quos logicen ſapere poſſe inficiaris, ueritatem in matheſibus inuenire & peruidere poterunt? quas quidem matheſes eos edoceri poſſe affirmas. Sic tibi perſuadeas uelim, inquit Rauerta, nullã artem ſine adiumento aliarũ artiũ nobis adamußim comparari poße: adeo, ut ne logica quidẽ ijs, qui in eã quantũ ſatis eſt operæ contulerunt, ſatis perſpecta eſſe

poßit, priusquam philoſophiam illi adepti fuerint;ut eadem ipſa logice, quæ illuſtrat, aperitque philoſophiam, a philoſophia uiciſsim illuſtretur illumineturque:ueruntamen noſce priùs dialecticam nobis operæpretiũ eſt,quàm philoſophiæ limites attingamus. Simili modo mathematicæ artes, licèt indigeant ope logices, tamen a pueris priùs confuſè, & incerta quadam ratione, neque enim electè & uerè ab eis ſciri poſſunt, perdiſcendæ ſunt:quas quidem clariùs perſpicient uiri, cum logicam facultatẽ fuerint conſecuti. Tum Ludouicus Ferrarius *inquit, Mihi quidem quæ dicta abs te ſunt, optime* Rauerta, *mirificè probantur:illud haud equidem prorſus recipiendum duco, mathematicas res ſenſibus ſubijci, non in animo inſidere. Sed tamen, quia aliqua ex parte tibi aſſentior, quodque hæc quæſtio, an ſenſibus, anne animo perſpiciantur hæ ipſæ facultates, non paucis contenta eſt uerbis, his de cauſis haud immorandum in hac re cenſeo: uerùm tum clariùs hæc enodanda eſſe duco, cum oportunum erit. Cui* Rauerta: *non inſcitè tu quidem* Ludouice *alias de hac re diſputandum eſſe fateris: atque tuum officium eſt, tunc cũ opus erit, hæc delucidè patefacere: nunc uerò relinquitur, ut matheſes ipſas ſigillatim diſtribuamus, & ſingulas proprijs in ſedibus conſtituamus.* Plærique *arithmeticam priorem ac uetuſtiorem geometrica arte eſſe uolunt, in quorũ numero* Seuerinus Boetius *eſt,qui* Deum *opt.hanc ſibi tanquam exemplar ratiocinationis ſuæ propoſuiſſe ait, quiq; arithmeticæ interitu geometriam ſimul e medio tolli affirmauit. At ſiquis geometricam artem hominibus adimat, is nequaquam arithmeticam ſimul, eodem* Boetio *iudice, ſuſtulerit. Sed tamen ego is ſum, qui priùs geometriam*

quàm arithmeticam comparandam nobis eſſe opiner, atque ſectandum eum, & in tradendis & in perdiſcendis hiſce diſciplinis ordinem, quem tenuiſſe Euclidem harum artium ſcientißimum magiſtrum ac accuratißimum obſeruatorem ordinis perſpicuum eſt. Ac ne pluribus uerbis, quàm diſponendarum harum artium lex ferat, uos teneam, neue temere ac ſine ulla ratione geometriam in prima ſede collocaſſe uidear, hanc noſtri propoſiti rationē nobis ſubiecisse ſatis ſit. Sunt qui a lineis, ſunt item qui a ſuperficiebus, non deſunt qui a ſolidis corporibus, atque a multiplici & ſuperficierum & ſolidiorum corporum ſpecie denominantur numeri, quos quidem intelligere ſine notione linearum, ſuperficierum, & corporum, earumq; formarum, unde traxere numeri appellationem, nemo rectè poterit: cæterum earum formarum notitia, a quibus ducitur huiuſmodi numerorum appellatio, geometræ eſt: ex quibus planè conſtat, geometricam artem natu maiorem eſſe arithmetica facultate. Igitur primò uobis agendum de geometria, deinde de arithmetica eſſe ſtatuo, poſt tractationem earum, quæ penitus obuerſantur animo, facultatum. Tertiam ſedem inter matheſes muſica obtinere meritò uidetur, quæ quanquam ita arithmeticæ, ſicut aſtronomia geometriæ, pediſequa eſt, nihiloſecius, quia faciliùs nobis perſpici poteſt quàm aſtronomia, iccirco priùs de muſica quàm de aſtronomorum ſcientia cognoſcendum inquirendumque eſſe decerno. Quarto loco in mathematicarum artium claſſe atque ordine locandam eſſe aſtronomiam arbitror, poſtremam ſedem opticæ arti aßignamus. Tum Stephanus Spinula ita locutus eſt, Atqui procliuiùs a nobis perdiſcitur optica facultas quàm aſtronomia,

igitur priùs opticen quàm aſtronomiam uerbis conſequi nos oportet. Nam ſi iccirco muſicam citiùs capeſcendam quàm aſtronomiam eſſe retuliſti, quòd illa cognitu facilior, hæc intellectu difficilior ſit, cur non item opticen priorem aſtronomica arte eſſe memoraſti? cum illa itidem hac expeditiùs, ac minori negotio a nobis parari poßit. Cui Rauerta*, licet multis partibus optice clariùs nobis illuſtris perſpectaque ſit quàm aſtrorum ſcientia, tamen aliquot aſtronomorum problemata inſerta opticæ diſciplinæ ſunt, quæ non niſi cognita aſtrologia nobis aſſequi permiſſum eſt: atque ideo aſtronomiam, ut quæ lumina quædam præferat opticæ arti, priùs arte ipſa optica excogitandam ſequendamque eſſe tradidimus.* Hæc *ſatis dicta ſint de ratione collocandarum mathematicarum artium, ac de diſponendis ſingulis matheſibus.* Nunc *ſupereſt, ut uideamus quemadmodum reliqua dogmata, uel potiùs reliquæ diſciplinæ digerendæ diſtribuendæque ſint.* Non *deſunt qui ſcientiam naturæ rerum, quam phyſicam nuncuparunt, priorem ordine quàm moralem diſciplinam eſſe iubeant, quorum quidem opinio cum alijs firmioribus & rationibus & authoritatibus, tum* Auerrois *teſtimonio ſuffulta atque communita eſt, qui quidem in commentarijs quæ compoſuit in primum librum de anima ab* Ariſtotele *editum, inquit,* Quæ *de anima tradita eſt ſcientia aliquot diſciplinis primordia atque initia præbet, ueluti diſciplinæ de moribus, cui quidem dictat rationem adminiſtrandi regendiq; ciuitates: ſiquidem nos docet, quem nobis finem proponere conueniat, quique ſuus, re uera, hominis finis ſit.* Ego *tamen aliter ſentio, atque hanc quidem, quæ de moribus eſt diſciplina, priùs nobis &*

uerbis exequi, & ſtudio laboreque conſequi congruens parq; eſſe opinor, quàm ad naturalem facultatem accedamus: nam cum hæc de moribus ſcientia uſu atque exercitatione nobis comparetur, ut Ariſtoteles *ſexcentis in locis inquit, ac non parui referat, quibus initio moribus pueri imbuti ſint: nam prout bene aut praué inſtructi educatique fuerint adoleſcentuli, ita boni uitioſique redduntur, quàm citiſſimé poteſt, pueriles animos componi, atq; informari ſanctiſſimis moribus, atque inſtrui morali facultate cenſeo: ut ſimul & diſcendis & ſeruandis optimis præceptis & inſtituitis uitia declinare atque honeſté uiuere conſueſcant: ne forté uitijs tamdiu ſe dedant, ac craſſantibus uoluptatum illecebris ſe uictos præbeant, ut turpitudo radices agat, atq; ipſi delibuti coinquinatiq; obſcœnitatibus callum criminibus obducant, atq; difficillimé poſtea reſipiſcere ualeant: neq;.n.nõ magni intereſſe putandum eſt, ut* Plato *creberrimé inquit, quibus tenella ætas aſſueſcat diſciplinis: iuxta illud uirgilianum.*

"adeo a teneris conſueſcere multum eſt.

Proinde anté *& perdiſcendam & ſeruandam omni ſtudio morum ſcientiam eſſe ſtatuo, quàm naturalium rerum notitiam deguſtemus: poſtea naturalium rerum ſcientiã capeſcendam cenſeo, cuius quidem perceptio plurimum nobis conferet ad confirmationem animi, atq; ad perſpiciendas oculatiùs, ſtudioſiùsq; ſequendas præceptiones eas, quæ ab optimo moderatore & magiſtro morum nobis traditæ ſunt.* **Tum Io. Baptiſta** *Caſtilioneus iuriſperitiſſimus ait,* **An** *tu fortaſſe nihil loci relinquis iuris ac legum ſcientiæ? quam quidem a morali diſciplina haud alienam eſſe omnibus compertum eſt, nec uerò ubi locaturus*

ſis eam intueor, ſi iuxta hanc de moribus diſciplinam naturalis ſcientia abs te poſita fuerit, ac non priùs ſacroſanctam hanc legum peritiam, quàm phyſicam ſcientiam oratione attigeris. Facis quod iuriſperitum decet, prudentiſſime Caſtilionee, inquit Rauerta, qui me ſanctiſſimæ ac uenerandæ legum inſtitutionis admones, quam quidem ego neque prætermittere in animum induxeram, neque tradideram obliuioni: ſed, ut quod res eſt dicam; præcepta iuris ac legum inſtituta plurimũ conuenire cum diſciplina morum ſentio, adeo ut ſimul agendũ de moribus & de diſciplina legum eſſe mea ſententia iudicem: ita tamen, ut priùs ethica tradi uelim; ſiquidem eius operis præceptiones ad ſingulos homines inſtruendos moribusque componendos pertinent: ubi hæc prodita fuerint œconomica expedienda eſſe ſtatuimus, a quibus rectam diſpenſationem adminiſtrationemque rei familiaris & domeſticæ docemur. Tertio loco politica pertractanda eſſe oratione cenſemus, a quibus quemadmodum regere, moderari, ac cuſtodire ciuitates reſque publicas deceat facile perdiſcimus: ſiquidem cum pars quæq; priùs nobis ſpectanda ſit quàm idipsũ quod ex partibus coagmentatũ cõpoſitumq; eſt, cumq; ſinguli homines pars quædã domus ſint, iamuero domus pars ſit ciuitatis; fit, ut iure priùs diſcendum nobis ſit, quemadmodũ ſe homines priuatim, poſtea quo pacto domum & familiam, poſtremò qua ratione ciuitatem regere debeant. Vbi uerò politica tranſegeritis, legum ſcientiam, qua particulatim fuſiùsque tractantur ea, quæ in libris de moribus generatim ac breuiter ab Ariſtotele ſcripta ſunt, aggredi uos oportere ſtatuo. Iam tandem & illas, quæ penitus animorũ par-

tus ſunt, atque ab animis prorſus pullulaſſe feruntur, facultates, & mathematicas artes, inſuper & eas institutiones, quæ de moribus, moderandisq; humanis rebus ſunt, proprijs ac cõmodis locis aſcripſimus. R*eliquũ eſt, ut eas, quæ in humanis diuinisque rebus poſitæ ſunt facultates, in proprias ſedes aſcribamus: itaque finem diſtribuendarum artium fecerimus.* Ex *ijs quæ tradendæ a nobis ſunt diſciplinæ, hanc facultatatem, quæ de rebus a natura progenitis, ac de ipſa rerum omnium fonte & parente natura eſt, mea quidem ſententia, priùs percurrere oratione oportet; ſiquidem in compoſitis rebus, quas ſenſu quodammodo nobis colligere permiſſum eſt, uerſatur: atque iccirco minùs ardua, minùsque difficilis eſt, quàm metaphyſica & theologia, quæ quidem non ſenſibus ſed animo tantum perſpiciuntur.* P*hyſicam ſcientiam medica facultas deinde ſubſequitur, utpote quæ certam quandam partem phyſicæ materiæ & facultatis complectatur; etenim humana corpora, quæ quidem a natura ſunt, quatenus arte ſeruari atque ad incolumitatem reuocari poſſunt medicæ arti ſubiecta ſunt, ut* Galeno *atque alijs illuſtribus uiris placet: quam quidem medendi ſcientiam ea re phyſicæ ſcientiæ ſubdere nobis uiſum eſt, quòd ueluti quædam ſoboles eius ſit, atque ab ea & ipſa deriuetur, & principia rationemque docendi capiat.* Mox *de metaphyſica ſapientia uobis differendum eſſe dijudico, quæ quidem in diuinis rebus, atque ijs, quæ materia omnino immunes uacuæque ſunt, poſita eſt; quas quidem diuinas res utpote ſupra hominem euectas, non oculis, non ullo ſenſu percipere, ſed ſola mentis acie luſtrare & ſpeculari poſſumus.* In *ſupremo loco, tanquam in arce, ſa-*

croſancta theologia ſibi ſedem delegit; ut quæ cæteris facultatibus præeſſe & dominari debet: nam quemadmodũ immortalis deus ſumma in ſede conſtitutus eſt, ut ex primo libro Ariſtotelis de cœlo & mundo colligitur: ita quæ circa deum max. uerſatur ſapientia, hoc eſt theologia, ad ſupremum gradum faſtigiumque omnium diſciplinarum euaſit. Hæc nobis, Academici uiri, de ordine diſciplinarum memoranda eſſe duximus; quem quidem ordinem ſi probari a uobis ſenſero, mihi pergratum erit: ſin minùs eum ipſum ordinem laudaueritis, errata noſtra uobis non mihi crimini uertenda ſunt, qui me hoc onere grauare decreuiſtis. Tum Tonſus Academicorum præfectus, nihil eſt inquit, quod dubites, quin omnes uno conſenſu iudicent idoneè decenterq; ſingulas artes abs te ſuis ſedibus ſituatas eſſe. Verùm quoniã hunc diẽ conſumpſimus, partim diſceptando, partim digerendis facultatibus; quæ de ſingulis artibus priuatim exponenda ſunt, in alium diem, uel potiùs in alios dies, ſi dieculam unam haud ſatis eſſe huic diſputationi intelligemus, differre inſtituimus.

LIBER SECVNDVS.

CVM iterum in unum conueniſſent Academici frequenteſq; adeſſent, Tonſus optimus diligentiſſimusq; noſtræ reip. moderator, qua conſueuerat lenitate atq; comitate admonuit uniuerſos Academicos, ut quiſq; & docere alios quæ non ignoraret, & ab alijs doceri quæ minus intelligeret, pateretur: ita tamen; ut inſtituti atq; iam omnium cõſenſu probati ordinis lex ſeruaretur. Huic Rolandus Curtius, cui principi benemerito, optiméq; ſentienti de Academia Tonſus princeps iure merito ſucceſſerat, uide, inquit, atq; optimè circunſpice præclariſſime rector, ne dum ſtudes pro uirili parte tua tueri ordinem, turbamq; omnem et ſeditionem ſedare atq; euitare, omnia confundantur permiſceanturque: atq; dum habetur ratio ordinis, nulla ordinis lex appareat. Equidẽ tum alios uiros qui liberalibus artibus animũ applicuerint, tum etiam hoſce Academicos, quod eorum pace dixerim, gloriolæ aut honoris ſaltem appetentes eſſe, cum aliàs, tũ præcipuè cum clauum tenerem atque gubernacula huius reip. a uobis accepta tractarem, animaduerti: neq; non iniquo animo ferre eos ſenſi, ſicui alteri eos præbuiſſem bonores, quibus ſe quiſque dignum arbitraretur. Quare ut ſis circunſpectus moneo, atque accuratè uideas ſuadeo, quorum habendus delectus ſit, qui de propoſitis diſciplinis diſſerant. Cum enim plures hic adſint qui eandem poſſideant aut profiteantur ſcientiam atque artem, haud ſatis uideo, qui munus enodandæ aut tractandæ alicuius artis cuiquam mandare queas, quin aliorum animos offendas, qui eidem diſciplinæ operam nauarunt: quos quidem omneis

ſtudio ardoreque eiusdem oneris uel honoris potiùs teneri tibi minimè dubium eſſe opinor; quibus omnibus te, ut optimum principem decet, ſatisfacere cupere certò ſcio: tantum abeſt ut cuiquam uel afferre iniuriam, uel odio eſſe te uelle exiſtimem. Tum Tonſus, *prudentiſſimè, inquit, locutus es; neque. n. parum offenſum iri alios eiuſdem diſciplinæ ſectatores tenendum eſt; ſicui explicandæ eius quã & ipſi callent artem, munus delegauero; neque ipſe quenquam infeſtare aut moleſtia afficere ſtudeo: quamobrem, ut ipſe nos opportunè admonuiſti, prouidentiſſimè iſtis Academicis animaduertendum eſt, quos quibus muneribus præfici uelint, quod ſine cuiusquam offenſione & moleſtia fiat. Quapropter, priusquam de propoſitis artibus uerba faciatis Academici uiri, de hac re uobis ineundum eſſe conſilium opinor, atque deliberandum, an ſinguli de ſingulis artibus diſſerere debeant, an plures ſimul de eadem re diſceptare oporteat: nec minùs animaduertendum uobis eſt, quinam cuique facultati tractandæ præcipuè idonei ſint; atque inprimis cauendum eſt, ut res ipſæ, quàm poteſt diligentiſſimè ſapientiſſimèque tractentur, idq; certa lege certoque ordine perficiatur, ac cuiusque ueſtrum pro dignitate ratio habeatur, nequid cuiquam afferatur iniuriæ.* Cui Contilius; *probè tu quidem præſtantiſſime princeps proſpiciendum eſſe iubes, & tractationi diſciplinarum, & ordini, & perſonarum dignitati. Illud tamen abs te prudentiſſimo uiro prætermiſſum eſſe miror, cur, quemadmodum uel ſingulis uiris ſingulas artes, uel pluribus eandem artem tractandam propoſueris, non item unum eundemq; uirum ſimul de pluribus artibus dicere poſſe ſignificaris: cum præſertim non deſint hoc loco ui=*

ri, quorum ſinguli in cunctis penè diſciplinis tantùm profecerint, ut excellant. Huic occurrit Vendraminus; *tametſi non deſint qui pluribus facultatibus uacent, tamen uix mihi perſuaderi poteſt, plures eundem hominem ſimul artes poßidere; nam eò magnitudinis unamquamque artem excreuiſſe uideo, ut uel ſingulari ſcientiæ comparandæ uix ſatis eſſe hominis ætatem opiner, tantùm abeſt, ut ſingularem hominem breui ſpatio cunctas aut pluſculas artes optimè conſecutum eſſe ſentiam.* Vendramini *ſententiæ aſtipulatus eſt* Franciſcus R*aueslatus, isq;* Ga*lenum teſtem citauit, qui in libro cui titulus eſt de conſtitutione artis medicæ, inquit, niſi homines diutißimè in arte oratoria uerſati ſint, haudquaquam bonos oratores euaſuros: quòd cum plus laboris plusque exercitationis medica quàm oratoria facultas requirat (neque enim tam facilè ars medica quàm rhetorum diſciplina & differendi ratio comparari poteſt) uix ſatis hominis ætatem pro paranda medicinæ facultate eſſe retulit.* Itaque *negabat* R*aueslatus unum eundemque hominē plura dogmata pluresq; diſciplinas rectè callere poſſe.* Maioragius, *qui uix æquo animo difficiliùs percipi medicinæ ſcientiam quàm rhetoricam artem audierat, quique plus eloquentiæ quàm cæteris artibus tribuebat; errare cum* Galeno R*aueslatū iureiurando affirmauit, qui laborioſiùs difficiliùsque medicorum quàm oratorum artem nos aſſequi poſſe ſentiret; idque ſe defenſurum non paucis ijsque non imbecillibus argumentis oſtendebat, ni* Camutius *hac admonitione atque hac oratione ipſum ab incepto dehortatus eſſet.* Nihil *eſt, inquit, quod de hac re hoc loco diſputemus; cum opus fuerit, cumq; huic diſceptationi locus erit, tunc uberiùs*

hæc res agitanda, atque tunc temporis ſedanda erit hæc controuerſia : nunc potiùs habendus delectus eorum eſt, qui, quantùm propoſita ratio poſtulat, de artibus loquantur. Agitè igitur, inquit Tonſus, *priùs decernite ac deliberate, unuſne an plures de una eademque facultate diſſerant, an ſingularis uir de pluribus artibus loquatur, ut* Contilius *nobis ſuaſit : nec minùs quem, quosue ſocios eidem muneri, aut pluribus negotijs, delegari conueniat, excogitate : ut, quod ſocietatis atque amicitiæ lex poſtulat, ſimul & quæ quisque ſapit cum ſocijs communicet, & quæ alij norunt ipſe percipiat.* Itaque *prudentes prudentium congreſſu ſinguli effici poterunt: idque, quod animo atque uotis omnibus exoptamus, cuiusq; rei gratia inſtituta eſt hæc optima reſp. conſequemur, ut quisq; noſtrum quæ ignorat, rectè & dilucidè ſapere, quæ uerò didicit, palam facere, atq; tam graues tamq; locupletes teſtes uirtutis ſuæ habere ualeat.* Contilius, *qui ſe atq; uniuerſos* Academicos *plurimi faciebat, ſatius eſt, inquit, ut unus de cunctis aut pluſculis ſaltem diſciplinis uerba faciat, quàm aut ſinguli de ſingulis artibus agant, aut plures uiri de una eademque arte diſputent : ſiquidem non aliter quàm in texendis componendisque poëmatibus, præſtat idem opus ab uno eodemque authore, tanquam ab unico fonte duci, quàm a pluribus uiris ea fingi & componi; minùs enim diſcedit a ſeipſo, minùsq; ſibi diſsimile diſſentaneumq; eſt opus ſingularis eiusq; ſapientis artificis, quã quod complures homines exædificarunt.* Huic Ferdinandus Abduenſis *refragatus eſt, atq; inquit,* Tu Contili *fortaſſe id tibi oneris ab* Academicis *imponi exoptas, atque ipſe unus facultates omneis oratione complecti ſtudes, qui,*

 156

ſcilicet, te omnium artium peritiſſimum eſſe & exiſtimas, & nobis perſuadere conaris: ſed tamen, & ſi unus hoc ſubire & perferre munus queas, attamen ego ſatius eſſe duco, ut ſingulis id negotium detur, uti artem quisque ſuam expediat: itaque onera atq; honores æquius ſingulis diſtribuentur, tuque ingenti labore leuaberis, atque alij neque expertes honoris, neque labore immunes abibunt. Quòd uerò ſibi magis conſtare, atque ſibi ſimilius eſſe id opus inquis, quod quidem ab uno eodemque artifice ſtructum ædificatumque ſit, quàm ſi idem opus a pluribus uiris contextum fuerit, tibi aſſentior, atque ita eſſe dijudico; haud tamen iccirco unum eundemque hominem de cunctis diſciplinis diſſerere oportere arbitror: neque enim dum omnibus de artibus dicere paramus, unicum conficere opus molimur, quod inſtar poëmatis ſit: ſed totidem opera machinamur teximusque, quot numero artes ſunt: quare ſingulis artibus ſinguli artifices deſtinandi ſunt, ut ſinguli ſingula opera conſtruant & meditentur. Ferdinandi *ſententiæ* Academici *partim aſſenſi, partim diſſenſi ſunt. Qui ei reluctabantur,* Curtij *opinionem probabant: atque cum plures eandem artem profeſſi uiri in eo conſeſſu atque in nobili* Academicorum *corona conſiſterent, aliquem de arte ipſa loquentem non ſine moleſtia a reliquis eiusdem artis profeſſoribus auditum iri aiebant. Neque enim eos, qui pollent ingenio, ac præſtant doctrina, facilè præbere ſe auditores ijs, a quibus ea, quæ ipſi ſe tenere arbitrantur, percepturi ſint: atque ita natura comparatum, ut quisque malit explicandis ijs animi uirtutibus, quas poſſidet, laudem conſequi, quàm ijsdem ipſis, quas non alienas a ſe ducit, animi dotibus*

percipiendis, hominem de uirtutibus diſſerentem efferre laudibus. Præterea aiebant, Cum ſibi quisque plus ſatis placeat, ſeque dignum exiſtimet cui habeatur honor, cuiq; curæ muneraque laudabilia mandentur; ſi deiectus de ſpe atque optato honore fuerit, fore, ut uehementer excandeſcat, hisque ſuccenſeat, a quibus ſublatum ſibi honorē eſſe ſenſerit; quæ res ſæpius in cauſa fuit, ut uel ingenui uiri tumultuarentur, atq; ut etiam firmiſſimæ ſocietates diſſoluerentur. His *de cauſis hi homines ſingulis uiris ſingulas artes pertractandas eſſe negabant: ijdem* Contilij *ſententiam minùs etiam quam* Abduenſis *opinionem recipiendam admittendamque eſſe affirmabant: quandoquidem* Abduenſis *iudicio plures homines decoratum honeſtatumque iri,* Contilij *ſententia unicum hominem omnes laturū honores, cæteros, ac ſi nullius ſint pretij, indecores atque inglorios prorſus diſceſſuros uidebant: quare ſe ex hac eſſe ſententia aſſerebāt, ut aliquot homines, quippe qui eidē arti operā dediſſent, eadē de arte ſimul diſceptarent aut colloquerentur: itaque artem ipſam planiùs pateſieri atq; illuſtrari poſſe narrabant: nam plura præcepta plures homines quàm ſingulos daturos, uiſurosque nonnullos clariùs quid errent, neminemque non oneris atque honoris æqui participem abiturum; neque non libertatis legem æquitatemque ſine cuiusquam detrimento ſeruatum iri memorabant.* Qui *uerò idem cum* Abduenſe *ſentiebant, atq; de ſingulis facultatibus ſingulos homines loqui oportere opinabantur, his rationibus ſui animi ſententiam uallarunt & communiuere; minùs quidem interturbari ac confundi res quæ traſtandæ ſunt, ſi a ſingulis uiris ſingulæ artes tractentur, quàm ſi complures decertent de eadem arte*

&

& diſciplina: tum quia numerus turbam, atque extraordinariam, exlegemque ſeriem tractandarum rerum progenerat, tum quia, dum quisque aciem ingenij atque doctrinam præ ſe ferre ſtudet, id quod inſitum eſt in natura cuiusq; homninis (ut Ariſtoteles in problematibus ſcriptum reliquit (nimium altercatur, neque tantùm inueſtigandæ ueritatis cauſa, quantùm oſtentandi ingenij gratia elaborat. Itaq; ſatius eſſe, ut a ſingulis, qui præter cæteros idonei ſunt memorandis artibus, una quæque ars ordine explanetur, quàm ut cuncti, aut plures promiſcuè eadem de re loquantur: negabantque hoc pacto male agi cum ijs, qui eandem coluiſſent ſectatique eſſent artem, quã ab eruditiori uiro explicatam denuo intelligerent. Illudq; addebant, potiùs cauendum eſſe, ne dum a nobis omnibus mos geritur, dumque unicuiq; facultas de quibuſcunq; rebus loquendi permittitur, negligamus ueritatem, cuius ſtudio & gratia hæc diſputatio ſuſcepta eſt, quàm dum conquirimus atque perſcrutamur uerum ac certam artium notitiam, eorum etiam animo minùs ſatisfiat, qui non ducuntur ratione, atque auidiores parandæ gloriæ decertando ſunt, quàm intelligendæ ueritatis reticendo: atque ſapientiſſimum Ariſtotelem, tum cæteris in præciptionibus, tum præcipuè in hac diuinitus pronuntiata ſententia, nobis imitandum eſſe declararunt. Is inquit, Tametſi Socratem pariter & Platonem magno proſequor amore, pluris tamen ueritatem quàm eorum amicitiam æſtimo. Iidem huius dogmatis ſectatores ueritatem certamq; rerum ſcientiam aliorum ſtudio & appetitui a nobis anteferendã eſſe ſtatuerunt. At Saulius, unus ex iis, qui de ſingulis artibus plures agere oportere ſentiebant ait, Veritas

ſtudio & amicitiæ, ut uos rectè præcipitis, etiam meo iudicio præferenda eſt: illud tamen uobis minimè conceſſerim, nos rectiùs uerum per ueſtigaturos, atque rerum ſcientiam adepturos, ab unico, uel peritiſsimo homine inſtructos; quàm ſi eandem ipſam facultatem, quam doceri uolumus, non ſolùm ab eo, quem peritiſsimum eſſe conſtiterit, quem tamen eludi & allucinari poſſe nemini dubium eſt; uerùm ab alijs etiam eiuſdem diſciplinæ peritis uiris ſimul de ea ipſa facultate diſceptantibus audiamus: nam multò plura, atque ea clariùs, plures numero homines quàm unus ex eo numero perſpiciunt. Diſputatio *uerò, quæ quidem uobis impedimento eſſe uidetur, quominus uerum aſſequamini, mihi non ſolùm non uerum obducere & cœlare, ſed etiam præ cæteris rebus ipſum eruere e tenebris, atque oculis noſtris ſubijcere apparet, ut teſtis eſt* Ariſtoteles*, quippe qui in categorijs inquit,* Singula *in dubitationem uocare operæpretium eſt, ac tertio libro diuinæ ſapientiæ; ignaros hebeteſque homines perſimiles ijs eſſe mortalibus contendit, qui uinculis impediti ſunt: ac quemadmodum nemo, cui incognita fuerint uincula, diſſoluere ea, ijſque impeditum hominem expedire poterit; ſimiliter animum rerum ignoratione inuolutum, atq; quodammodo alligatum, nemo antè expedierit, easque difficultates atque ea impedimenta impedito animo priùs ademerit, hoc eſt ambiguitates diſſoluerit, quàm eas ipſas difficultates ambiguitateſque perſpectas exploratasq; habuerit: proinde quæ animum ambiguum habere ſolent, priùs in medium adduci oportere cenſet philoſophus, ut ijs & perſpectis & ex animo amotis, ueritas ipſi animo tandem ſui compoti, ac uinculis immuni & libero il-*

luſtretur ; idque non modò nobis præſcripſiſſe Ariſtotelē; ſed etiam executum eſſe, in eo præſertim uolumine, indicio ſunt eius ſcripta. Cum etiam de materia logicæ facultatis, ut cæterarum artium ſubiectionem ſilentio tranſeam, parùm conſtet inter eruditos uiros: nanque alij aliam ſupellectilem ſubijciunt logicæ arti; ſi unicus uir de logica loquatur, eam tantùm aſſeret logicæ materiam, quam norit, quæ tamen fortè minùs propria erit eius artis facultas: itaque ſi unum duntaxat concionantem, ac de propria logicæ artis materia diſſerentem audierimus, fortè inſcij erimus huius ardentiùs ſtudioſiùsque a nobis conquiſitæ logicæ materiæ & facultatis. Hac oratione Saulius effecit, ut penè omnes in eius ſententiam deducti ſint: quod iccirco non difficile admodum Saulio fuit, quoniam unusquisque Academicus auidus erat oſtentandi ingenij, atque teſtandæ propriæ uirtutis, quòdque non pauci uerebantur, ne tantūmodo ſe alijs auditores non præceptores exhiberent, ſi ſublata foret facultas omnibus præterquam uni de arte aliqua diſſerendi. Qui uerò pro comperto habebant, ac certò ſciebant, ſibi ſuſcipiendā eſſe aliquam prouinciam, atque explendum dicendi munus; licet communem multorum futuram laudem intuerentur, quam integram ſibi ſeruatum iri ſperabant, ac tanquam propriam quodammodo agnoſcebant; attamen haud obnixi aduerſatique ſunt huic ſententiæ, quæ Saulij oratione confirmata eſt, cuique ferè omnes Academici accedebant, partim ueriti, ne aut nimium ambitioſi, nimiumque laudis appetentes haberentur, partim hæſitantes, ne impares uires oneri gererent; neque enim leue onus eſt de arte aliqua diſſerere, propriamque eius

materiam & expedire oratione, & quodammodo in ſolitudinem uocare, ſecernereque a materia aliarum artium, præſertim cum rerum affinitas ſimilitudoque in cauſa ſit, ut altera res pro altera ſæpenumero accipiatur, ac non niſi ab ijs, qui oculatiùs ſubtiliùsque res conſpicantur, earum rerum diſcrimen penitus inſpici poßit. Cum itaque Tonſus, qui clauum imperij tenebat, uideret complures Academicos in hanc ueniſſe ſententiam, atque ex hac eſſe opinione, ut quisque de artibus, quæ ſentiret, ederet oratione; Saulium compellauit, quem huius opinionis acerrimum defenſorem eſſe perſpexerat. Quoniam, inquit, ſatis ſuperque diſputatum eſſe uideo, quemadmodum atque a quibus uiris tractari facultates conueniat, tuæ partes eruditißime Sauli ſunt exponere, quam ipſe cenſeas eſſe materiam logicæ facultatis, de qua & primò agi oportere inter nos dudum conuenit, ac de qua parùm conſtare inter ſapientes uiros pauloante dixiſti: ut tandem optatam metam contingere, atque adeo, quod iam dudum propoſuimus, tandem inceptare, ne dicam tranſigere opus ualeamus. Magnum mihi abs te impoſitum eſſe onus optime princeps intelligo, inquit Saulius: nam cum mihi iuueni atq; inerudito ſatius ſit reticendo ab alijs & natu maioribus & prudentioribus uiris perdiſcere præcepta bonarum artium, quàm quicquam proferre, quod ad has facultates de quibus nobis ſermo futurus eſt pertineat, tu me primum omnium de materia logicæ artis diſſerere iubes, quæ res, mea quidem ſententia, perdifficilis eſt, ac longè firmiores uires requirit. Cui Barcellus, nihil eſt, inquit, quod hac uerborum circuitione animi tui modeſtiam, quæ omnibus ſatis illuſtris perſpicuaq; eſt,

Digitized by Google

teſtari labores: quin potius quod princeps grauiſſimo uir iudicio tibi edixit perfice; neque enim id tibi laborioſum difficileque factu erit: neque opus eſt ut, aut in iuuentutem, aut in imperitiam cauſam deriues: altera enim, licèt a te nondum diſceſſerit, tamen ita ſe cũ uirtutibus et doctrina coniunxit, ut, quod paucis conceſſum eſt, haud uerendum tibi ſit, ne hoc onus ſubire, atque hanc ſumere prouinciam per ætatem non queas: altera uerò, imperitia ſcilicet, neque in te eſt, neque tibi impedimentum ullum afferre poteſt, quin opus hoc tranſigere, & perficere ualeas. At *Saulius; quanquam non ignoro quam parùm ipſe profecerim in liberalibus diſciplinis, tamen ne non obtemperare tibi, princeps iuriſconſultiſſime, uelle uidear, ſi detrectauero aut recuſauero hunc laborem, breuiter quid ipſe de hac re ſentiam dicturus ſum, non ignarus fore, ut mea ſententia quibusdam neutiquam probetur: ſiquidem haud eadem eſſe logicæ rei facultas omnibus uidetur; nanque aliam alij condonant ſubijciuntque huic arti materiam & facultatem.* Inprimis *illud non ignorandum, ex diſciplinis, alias in rebus, alias in oratione uerſari: eas quæ in rebus poſitæ ſunt, breuiter perſtrinxit* Ariſtoteles *ſexto libro diuinæ philoſophiæ, atque tres numero eſſe inquit, metaphyſicam, phyſicam, & mathematicam facultatem, quarum* Rauerta *antea meminit: eas uerò quæ ſitæ ſunt in oratione hoc loco memorare nobis animus eſt, ſiquidem huc pertinet loqui de materia harum artium, ut quæ propria ſit logicæ facultatis ſupellex hinc facilè perſpicere ualeamus.* In *oratione inſiſtere haſce artes mehercle conijcio, grammaticam, dialecticam, rhetoricam, & poëticam facultatem.* Quod *in grammatica de oratione agatur, ne-*

mini dubium eſſe opinor: etenim conſtruendæ atq; texendæ apte congruenterque orationi grammaticum omnes intendere neruos nemo ueſtrum ignorat. Quòd logica in oratione itidem uerſetur, oſtenſum eſt ab Ariſtotele in primo libro de interpretatione, ubi is planè indicauit enuntiationem pertractandam eſſe a logicis, quæ quidem enuntiatio orationis pars uel potiùs ſpecies eſt, qua uerum falſumque haud dubiè ſignificatur. Quòd item rhetores poëtæque occupentur in ſpeculanda oratione, idem Ariſtoteles eodem in libro de interpretatione ſubinde teſtatus eſt, ubi precationem, quæ quidem oratio eſt, ab oratoribus aut poëtis animaduertendam eſſe ait. Itaque facilè cuiuis perſpicuum eſt, has de quibus locuti ſumus artes in oratione uerſari: ex ijs quoque manifeſtum eſt, logicam facultatem, de qua nobis diſſerendum eſt, id genus orationis ſibi aſſerere, quod enuntiatio nuncupatur: ex quo quidem facilè patet, quemadmodum diſtincta logica ſit ab alijs artibus, quibus oratio tanquam propria materia fingitur & afformatur: ſiquidem aliud aliæ artes orationis genus complectuntur, hac enuntiatio tractatur. Atque ut uno uerbo dicam, ſubiectionem logicæ artis id orationis genus affirmauerim, quod a. M. T. C. cum alias, tum maximè in libro de fato enuntiatio appellatur. Ex ijs etiã liquidò patet, logicam artem propriam ſibi aſciſcere & uendicare materiam: nec minus perſpicuum eſt, quemadmodum ea a cæteris facultatibus diuerſa diſcretaque eſt, ſiquidem hoc diſcernitur ab ijs diſciplinis, in quibus res pertractantur, quòd hæc non res uerùm orationem complectitur: rurſus ab ijs diſcrepat artibus, quæ orationem & ipſæ amplexantur inſtar logicæ facultatis, cæterum

aliud genus orationis tradere conſueuerunt, ueluti gramma tica, rhetorica, & poëtica facultas. Itaq; & propriam ſubiecíſſe huic arti materiã, & eam ipſam artem a cæteris ſecreuiſſe artibus, ac in ſolitudinem uocaſſe, quòd facere inſtitueramus, mihi tandẽ uideor. Cui Zaphyrus, is qui tũ logicam Ticini publicè profitebatur, Tu uerò, inquit, certã quandã aſcribis huic arti materiã, cui nullã a philoſopho peculiarẽ ſubiectionem tributã eſſe, eius ſcripta dilucidè teſtantur, ſicuti hæc philoſophi ſententia initio libri rheto ricorũ ad Theodecten conſcripta indicat, rhetorica dialecti cæ ex altera parte reſpondet, nã utraq; de iis eſt, quæ om= nium quodãmodo cõmunia ſunt, ac nullius certæ ſcientiæ priuatim eſſe intelliguntur. Idẽ ipſum Ariſtoteles, primo li bro de phyſico auditu, hac oratione luce clarius oſtendit, Haud ſanè in phyſica ſcientia conquiſitũ eſt, an unũ ſit id ipſum quod eſt, idq; immobile, ſed potiùs in cõmuni aliarũ artiũ ſcientia. Cõmunem uerò cæteris facultatibus ſcien= tiã eſſe metaphyſicam ſapientiã, ac diſſerendi ſcientiã, hoc eſt dialecticã, Auerroës, aliiq; ſeduli ac fidi Ariſtotelis in terpretes uolunt: atq; utrãuis earum a præclariſſimo phi= loſopho eo loco ſignificari cõtendũt. Quæ cũ ita ſint, quis propriã huic ſcientiæ materiã meritò tribuerit? qua quidẽ ex re conſtat, neq; non in rebus, neq; in ſola enuntiatio= ne uerſari logicam facultatem, neq; hac ipſa oratione tan= quã peculiari ſubiectione hanc artem a cæteris diſciplinis diſcerni & dirimi, ut ipſe memoraſti. Cui Saulius, rectè tu quidẽ, atq; ut hominẽ dialecticæ peritiſſimum decet, nobis id obiicis: ueruntamen tuæ obiectioni occurrit Auerroës hac ſententia, quã in cõmentariis in primũ librũ phyſicorũ exarauit. Logica in artibus biſariam uſurpatur, atq; ad

noſtrum uſum accommodatur: ſiquidem, aut capitur tan= quam inſtrumentum, quo quidem uerum a falſo ſecernitur; idque tanquam proprium logica agnoſcit; aut ita accipi= tur, ut quæ in ea explanata ſunt, tanquã axiomata quæ= dam a nobis ſumantur, quibus ſanè confirmanda atque in= firmanda aliqua ſententia uti conſueuimus, atque hoc pa= cto nulli anguſtiori ac particulatim ſumptæ facultati lo= gicæ uſum propriè conuenire, diuinæ uerò philoſophiæ propriè & iure merito adiudicari tenendum eſt: etenim utraque, dialectica ſcilicet facultas & metaphyſica ſa- pientia, circa uniuerſitates rerum uerſatur. Atque mihi demum idem Auerroës ſentire cũ Scoto uiro acerrimi in= genij uidetur, qui ſanè in prima quæſtione in iſagogen Porphyrij aliam eſſe, quam docemur, logicam inquit, aliã qua uti ſolemus: illam ex ſuis peculiaribusque, ijſque & maximè commodis & perquam neceſſarijs primordijs, aſſumptionibusque, ad certas itemque neceſſarias concluſio nes deduci, eandemq; ſcientiam iure nuncupari poſſe af= firmat: hanc uerò, quæ ſcilicet in uſum adhiberi ſolet, non proprijs ſed communibus armis inſtructam, ad alia= rum uſum accommodari, quam quidem inſignis atque acu= tiſsimus uir negat eſſe ſcientiam: quæ cum ita ſint, haud difficilem diſſolutionem tuæ rationis eſſe puto. Nam ſi no= bis ſermo habeatur de eo genere logicæ artis, quo uti nos oportet, in quo quidem genere axiomata proloquiaue tra= duntur, quæ ad unamquanque ſcientiam accommodari poſ ſunt, hoc pacto & communem hanc omnium artium fa= cultatem eſſe, & nullam huic arti propriè ſubiectam eſſe materiam aſſeueramus: atque de hoc genere dialectice lo= cutum eſſe Ariſtotelem in primo uolumine rhetoricorum,

ac primo libro phyſicorum arbitramur. Si uerò de ea, quam docemur logicam, uerba faciamus, de qua quidem mihi nunc ſermo eſt, eam in propria uerſari materia, quam enuntiationem eſſe uolumus, affirmare non dubitamus. At Gorla, *duo mihi hoc loco animaduertenda eſſe uidentur, primum. n. quia non leuis eſt controuerſia inter eruditiores uiros, quemadmodũ exponere eam* Ariſto*telis ſententiam oporteat, rhetorica dialecticæ* ἀντιστρόφος *reſpondet: nunc ſententiam hanc enodari oportere cenſeo, ut demum intelligamus, quænam cõmunis omnium artium dialectica, aut dialecticæ pars, ſit: quæ itẽ in propria uerſetur materia; ac quemadmodum cõmunis dialectica, & a priuata logica, & a rhetorica, cæteriſque tum publicis tũ priuatis facultatibus diſcernatur.* Deinde *illud diligenter ſpectandum eſſe opinor, an enuntiatio peculiaris ſuaque ſit logicæ artis materia: quandoquidem non deſunt eruditi uiri, qui longè aliam huic diſciplinæ materiam ſubiectã eſſe contendant, e quibus alij in rebus, alij in uerbis atque oratione poſitam eſſe hanc ſcientiam, ſi tamen ſcientiæ nomen ea obtinet, ſentiunt.* Tum Cicerius *inquit*, Ex *tuis uerbis, feſtiuiſſime* Gorla, *colligitur, illud quoque in quæſtionem adduci, atque quæritandum eſſe, ſcientiane ſit logica facultas necne, quæ propriam ſibi uendicat materiam: neque non uariam eſſe priſcorum ſapientiumque uirorum de hac re opinionem unicuique compertum eſt.* Maioragius *uerò ita locutus eſt*, Quæ *propriè tribuenda ſit huic facultati materia, ſiue ea enuntiatio, ſiue ratiocinatio, ſiue quid aliud ſit, hoc loco excogitandum atq; ſcrutandum eſſe minimè negauerim: nec uerò iuerim inficias, oportunè hic quæri poſſe, ſitne, an non ſit ſcientia*

logica facultas: ſiquidem quæſtiones huiuſmodi ad logicã priuatim proprieque attinent. Quemadmodum uerò ἀντιστρόφως reſpondeat rhetorica dialecticæ, potiùs a rhetore memorandum eſſe puto: ſiquidem ab Ariſtotele in libris rhetoricorum hoc problema perſcriptum atque literarum monumentis traditum eſt. Ferdinandus Abduenſis, qui quidem a Maioragio humanioribus literis imbutus erat, quique, ne tanti beneficij immemor uideretur, præceptori ſe gratificari ſtudebat, eiusdẽ Maioragij ſententiam confirmauit, non ſolùm ea quam ſubiecerat Maioragius ratione, ſed etiam hoc argumento; quod aliæ propoſitæ ſint difficiles quæſtiones, quæ non paruo negotio diſſolui poßint: ne igitur plures atq; hæ arduæ ſimul cõmiſceantur atq; confundantur difficultates, ſatius eſſe aiebat, ut hæc diſputatio de concordia aut conſenſione logicæ & rhetoricæ artis differatur in id tempus, quo quidẽ tempore de rhetorica agendum eſt, idq; ea gratia Abduenſis inquit, quòd tractandæ rei rhetoricæ munus ſuſcepturum eſſe Maioragium animo proſpiciebat, a quo quidem præceptore pleniùs tractatum eſſe de utriusq; artis ſimilitudine, & hanc Ariſtotelis ſententiam, Rhetorica dialecticæ ἀντιστρόφως reſpondet, explanatam, ac ſatis prolixa oratione in ſententiam. M. T. C. explicatam eſſe perſpicuè nouerat. Tonſus reip. moderator ac princeps, qui & ipſe Maioragio magiſtro uſus erat, cũ ueriſimilem utriusq; eſſe & Maioragij & Abduenſis opinionem intueretur, cumq; quò ſpectaret utriusq; oratio planè intelligeret, ut rẽ gratam ipſe quoq; præceptori ſuo faceret, hanc de qua nobis ſermo eſt quæſtionẽ tũ tractandã eſſe, cũ de eloquentia oratoriaq; arte diſcreptabitur, nõ diſsimulanter pronuntiauit,

 162

utpote qui iam decreuerat hoc potiſſimū delegare munus præceptori ſuo peroptanti, atq; hanc prouinciam mirificè expetenti. Itaq; tum declaratum eſt, uti priùs, num ſcientia logica facultas ſit, quæreretur, deinde num enuntiatio propria ſit logicæ facultatis materia, an aliam ſiue in re ſiue in animo poſitam obtinuerit logica ars materiā, excogitaretur: nam priùs aut artem aut ſcientiam logicā eſſe probandum, quàm ut an quicquam ea ſibi aſſumat ſubiiciatque requiratur: ſiquidem quemadmodum ſenſilia ſenſibus obijci perhibentur, ſimili ratione quæ ſcientia aut arte perſpiciuntur aliqua, ſcientiæ aut arti ſubijcere ſeſe feruntur: quapropter niſi priùs conuictum fuerit, aut artem aut ſcientiam logicam eſſe, haud ſanè inquirendum, an ulla res huic ſubijciatur facultati. Etenim, *ut teſtatus eſt* Ariſtoteles *primo libro poſteriorum analyticorum, ſingularis ſcientia ſingulare ſubiectæ rei genus continet, cuius quidem generis partes ſimul & proprietates in ea ipſa ſcientia ſpectantur.* Idem philoſophus *tertio libro de anima, ac ſexto diuinæ ſapientiæ, artes atque diſciplinas haud ſecus atque res ipſas partitur, ut aliàs memoratum eſt.* Non deerát qui iccirco priùs illud *uocandum in controuerſiam dicerent, an ſcilicet enuntiatio, ut Saulius dixerat, an quicquam aliud huic facultati ſubiiceretur, quàm animaduertendum: ſcientiane, an ars, an potiùs inſtrumentum logica ſit, ſiquidem haudquaquam ob id logica ſibi quicquam ſubijcit, aut propriam materiam ſibi aſſumit, quòd ars aut ſcientia exiſtat, ſed potiùs ideo ars ſcientiaue eſt, quòd ſubiectam materiam agnoſcit: non enim a ſcientia res pariuntur, ſed ſcientia ipſa a rebus deducitur, ut ex li-*

bro de interpretatione Ariſtotelis, atque ex aliijs eius ſcriptis facilè intelligere nobis licet. Quòd cum ſubie=cta res perficiat, ut ſcientia logica ſit, ſi tamen ea ſci=entiæ nomine cenſeri debet, priùs de ſubiecto genere rei agendum, quàm excogitandum ſcientiane logica exiſtat. Sed tamen quia materia logicæ facultatis, ut præſtantiores uiri opinati ſunt, non in re ſed in animo poſita eſt, atque ab intellectu non inſcio paritur ac exædificatur, iccirco a ſcientia potiùs deduci materiam logicæ rei, quàm logicam a propria materia proficiſci affirmabant. Quare ante perpendendum cogitandumque eſſe, ſcientia ne ſit hæc fa=cultas, quàm in quo genere uerſetur, aiebant. Qui huic aduerſabantur ſententiæ, etiamſi non ab inſcio intellectu logicæ materiam progenitam eſſe detur, tamen ab intel=lectu non logicæ ſed aliarum artium perito logicæ ſubie=ctum genus editum comparatumque eſſe uolebant. Quòd cum non logica ſcientia ſed aliarum artium cognitio mate=riam logicæ facultatis antecedat, cumque logica ipſa tum demum enaſcatur, cum comparata fuerit logicæ artis ma=teria & facultas, ideo potiùs pertractandam eſſe ſubie=ctionem huius artis, quàm artem ipſam memorabant: ſed tamen, quoniam perardua ac admodum laborioſa hæc quæ ſtio de materia logicæ facultatis habetur, contra paulo facilior alia quæſtio cenſetur, qua cuius generis claßiſue ſit logica facultas exploratur; ideo omnium conſenſu inde, tanquam a leuiori ac procliuiori re inceptandum eſſe decre tum eſt. Itaque quia Cicerius hanc quæſtionem, ſcien=tiane an non logica ſit, in medium adduxerat, ea re, quid=nam ipſe ſentiret de hac ipſa re, a principe Academico=rum interrogatus eſt: is non iccirco ſe retuliſſe inquit eſſe

huic quæſtioni locum, quòd ipſe calleret hanc facultatem, cui nunquam operam dediſſet, ſed ex Gorlæ *oratione colegiſſe ſe inquit, id in quæſtione eſſe oportere, nec minus audiiſſe ſe ſapientiſſimos philoſophos de hac re non leuiter decertantes, ac ſcientiam uel partem philoſophiæ aliis, aliis uerò inſtrumentum logicam facultatem uideri: partem philoſophiæ cenſeri ab iis, qui ſe* Stoicos *nuncuparunt, quiq;* Stoicorum *dogmata ſecuti ſunt: inſtrumentũ a* Peripateticis *uocari: idque uel ex hoc itelligi poſſe, quòd* Ariſtotales Peripateticorum *facilè princeps id uolumen, in quo quidem logicæ præcepta conſcripſit,* ὄργανον, *hoc eſt inſtrumentum inſcripſit.* A Platonicis *uerò eandem logicam, & philoſophiæ partem, & inſtrumentum appellari retulit.* Hæc *inquit* Cicerius *ſe percepiſſe ex diſceptatione ac uerbis doctiſſimorum uirorum, quæ tamen horum hominum ſententia propius ad uerum accedat, aliorum, inquit, ſit iudicium: nam temerarium atque abſurdũ iuueni ac tyroni eſt, ubi ſapientiſſimi uiri altercantur, ac diuerſi inter ſe ſunt, ferre ſententiam, ac ſecundũ aliquem litem adiudicare: quapropter incertus, inquit, ſum, quibus magis accedendum ſit,* Stoicisne, *an* Ariſtotelicis, *an uerò* Platonicis *uiris: uos uerò, qui in ſtudiis philoſophiæ diutiùs accuratiùsque elaboraſtis, uideritis quænam ex his admittenda, quæque reiicienda opinio ſit.* Tum Caſtilioneus, *licèt qui philoſophantur, alii ab aliis diſsideant, atque aliter alii de hac re ſentiant; ego ſemper ex hac fui ſententia, logicam potiùs inſtrumentum quam philoſophiæ partem habendam eſſe, tum quia* ὄργανον *ab* Ariſtotele *inſcribitur, tum aliis de cauſis. Cum. n. nulla pars cum reliquis ſe partibus commiſceat (neq; enim ma-*

nus cum capite aut cum pedibus permiſcetur) ſit, ut quæ res cum alijs rebus cohærent & coaleſcunt, earum rerum partes quibuſcum coiere minimè cenſeri debeant. Iam uerò logica facultas cum ſingulis philoſophiæ partibus coagmentatur atq; conſeritur; ſiquidem unaquæq; philoſophiæ pars logicam ſibi in ſocietatem adhibet, ut uerum a mendacio ſecernat & dirimat, ex quibus facilè patet logicã haudquaquã philoſophiæ partẽ eſſe. Huic occurrit *Raueslatus his uerbis, Nullam priloſophiæ partem eſſe logicam ſignificas, haud tamen hinc colligis conuincisque inſtrumentũ logicam eſſe, id quod te oſtenſurum pollicebare.* Nec uerò *hoc conſectarium admittendum eſt, Logica philoſophiæ pars haudquaquam eſt, igitur logica inſtrumentum exiſtit: neq; enim qui negat logicam partem philoſophiæ eſſe, is inſtrumentum eandem eſſe ait: etenim negatiua oratione nihil certi conſtituitur ac confirmatur. Nec uerò inficior, quin* Ariſtotelis *authoritas, a quo quidem authore hoc opus logicæ artis inſtrumentum eſſe inſcriptũ re uera memoras, ſatis roboris afferat rationi tuæ: id tantum nego ex tua oratione atq; argumento, quo quidẽ concluſum abs te eſt, logicam minimè annumerandam eſſe partibus philoſophiæ, ſimul etiam concluſum eſſe, logicam inſtrumentum eſſe.* Quicum *Caſtilioneus ita locutus eſt, Cum conſtet aut philoſophiæ partem, aut inſtrumentum neceſſariò logicam eſſe; qui partem philoſophiæ eam eſſe negat, is inſtrumentum eſſe, uelit, nolit, fateatur neceſſe eſt: ſiquidem, ut dialectici inquiunt, in ea quã disiunctiuam uocant orationem, ſat eſt alteram orationis partem ueram eſſe: quandoquidem in eo genere orationis, ſiquis a tota integraq; oratione ad utramuis partẽ, infirma-*

ta tamen altera parte, accedat, utilis eſt ſequela: ueluti ſi quis dicat, Aut uoluptas aut uirtus ſuus hominibus finis propoſitus eſt, atqui non ad uoluptatem homines natura comparati ſunt, igitur ad uirtutem nati ſunt homines. Conſimili ratione nobis argumentari licèt, Aut philoſophiæ pars, aut inſtrumentum logica eſt, atqui philoſophiæ pars nulla exiſtit, igitur inſtrumentum eſt logica facultas. Hanc uerò Caſtilionei ſententiā hoc dilemmate Raueslatus diluit, Hac itidem ratione ſat ponderis ineſſet in hac argumentatione, Homo aut deus aut belua exiſtit, at non belua eſt homo, igitur Deus homo eſt: etenim hoc loco ab integra oratione ad confirmationem alterius partis, non ſine alterius partis confutatione, ſermonem retulimus. Quis tamen eò dementiæ peruenit, ut tantum homini tribuendum putet, ut comparem Deo opt. ipſum eſse, uel potiùs Deum eſſe hominem ipſum, eò quia belua non eſt, affirmare auſit? Cui hæc reddidit Caſtilioneus, Si neceſſarium eſſet, ut aut Deus, aut belua homo foret, quemadmodum neceſſe eſt logicam aut philoſophiæ partem, aut organum eſſe, ſicut hîc, ex eo, quia logicam philoſophiæ partem nullam eſſe oſtenſum eſt, ac concluſum deinde eſt, logicam inſtrumentum eſſe; ſimili modo in illa ratiocinatione, propterea quòd commonſtratum eſt, hominem haudquaquam beluam eſſe, colligendum eſſet, hominem deum exiſtere: uerùm in hac quidem oratione alterum horum neceſſarium eſt, aut, ſcilicet, aliquam philoſophiæ partem, aut inſtrumentum eſſe logicam facultatem: at in ſuperiori oratione haud ſanè neceſſum eſt, hominem aut Deum aut beluam exiſtere: itaque ſatis perſpicuum eſt hanc latam eſſe legem de eo genere disiunctiuæ orationis,

quæ neceſſariò alteram partem ſtabiliat & confirmet, reiecta tamen altera parte. Sed tamen, ut pleniùs cumulatiùsque animo ſatisfiat tuo, aliam reddituri ſumus rationem, qua ſanè non modò non eſſe partem ullam philoſophiæ logicam probabimus, ſed inſtrumentum quoque eam eſſe docebimus. Si ea ineſſe in logica facultate indicauerimus, quæ non parti ſed inſtrumento potiùs congruentia ſunt, quæque non partes ſed inſtrumenta ſibi aſciſcunt, nonne inſtrumentum potiùs quàm partem philoſophiæ logicam eſſe concedes? Raueslatus id ſe conceſſurum nullo negotio inquit. Tum Caſtilioneus, pars quæq; philoſophiæ non alterius rei gratia ſed propter ſemetipſam edita eſt, inſtrumentum uerò non ſibi ſed iјs rebus natum eſt, ad quarum rerum uſum adhibetur, cuiusmodi logica facultas eſt, quæ quidem in hoc eſt comparata, ut ea inſtructi homines, in contemplandis rebus, uerum a mendacio ſecernant, atque in retractandis animo negotiјs, id quod melius eſt a deterioribus rebus diſtinguant, eaque tanquam certa regula & amuſsi (ut Philoponus ait) id quod rectum eſt ab obliquis obtortisque rebus diſcernere queant. Porrò philoſophiæ partes ſibi ipſis natæ ſunt, ueluti eius quæ in contemplatione uerſatur ſcientiæ, ſingulæ partes propter ſemetipſas, non item ad aliarum rerum aut diſciplinarum uſum paratæ ſunt. Idem equidem affirmauerim de partibus philoſophiæ, quæ in moribus, atque in actione poſita eſt: nam quæque eius partes non aliam ad finem ſpectant, ſed propter ſeſe comparatæ ſunt: nanque haud ſecus atque tota, quæ in ſpeculandis, quæque in adminiſtrandis, tractandisque rebus uerſatur ſcientia, ſe ſibi ipſi & finem & præmium propoſuit,

ſingulæ

ſingulæ utriusque ſcientiæ partes non alium ad finē quàm ad ſeſe ſpectare exiſtimantur. Quòd cum logica diſciplina aliarum artium gratia excogitata ſit, hinc efficitur, logicam facultatem neque practicæ, neque theoricæ ſcientiæ, philoſophiæue partem eſſe, ſed inſtrumentum potiùs eam & eſſe & iure a philoſopho nuncupari. Huic iterum occurrere inſtituerat Raueslatus, ſed Saulius, qui quidem ſcientiam, atque iccirco philoſophiæ partem eſſe logicam oſtenderat, eò quia enuntiationem ei ſubiectam eſſe docuerat, hoc reſponſum Caſtilioneo dedit. Si ea de cauſa non philoſophiæ pars neque ſcientia eſſe logica exiſtimanda eſt, quòd non ſibi ſed alijs facultatibus comparata eſt, eadem ratione ea philoſophiæ pars, quæ in moribus atque in adminiſtratione rerum ſita eſt, haudquaquā ſcientia aut pars philoſophiæ haberi debet, eò quòd non ſibi ſed alteri & germanæ philoſophiæ parti orta eſt: uerumenimuero haud aliter practicen atque theoricen philoſophiæ partem ipſe & iure appellas: atq; cum optimis præſtantiſſimisque uiris hac in re ſentis. His permotus Caſtilioneus ait, Practicen philoſophiæ partem eſſe ſentio, idque, ut pauloante uerbis ſignificaui, ita nunc ultro profiteor atque aſſeuero: quemadmodum uerò non ſibi ipſi ſed potiùs theoricæ ſapientiæ ea parta ſit, haud ſatis perſpicio, neque etiam ita eſſe arbitror. Hoc, inquit, Saulius, facilè colligitur ex decimo libro ethicorum Ariſtotelis, qui quidem ſummum bonum ac felicitatem non in actione ſed in contemplatione poſitam eſſe ibi ait, atq; nos negotiari atque in opere eſſe retulit ut otio fruamur: ubi philoſophus planè indicat, homines philoſophiæ quæ πρακτικὴ a Græcis uocatur ſe dedere oportere, ut ab-

teram philoſophiæ partem aſſequi, atque optimè ſapere & contemplari humanas diuinasq; res ualeant. Andreas Camutius, tum ut onere Caſtilioneum leuaret, tum quia decertantes inter ſe iuuenes longiùs ab inſtituta re progreſſuros intuebatur, ita effatus eſt, Nos ſanè utimur logicis præceptionibus cum philoſophiæ præcepta aliqua aut percipere aut alios docere uolumus, ut quid firmitatis quidq; roboris in ijs præceptis ſit intelligamus, ac quantam uim ad illuſtrandam ueritatem ea philoſophiæ præcepta habeant non obſcurè cernere poßimus: at morali ſcientia non ut lege & formula inueſtigandi ueri utimur, ſed potiùs ut ea imbuti uitia declinemus, atq; optimè animo inſtituti et parati ſimus ad percipiendam rerum naturam: itaq; logica tanquam inſtrumento & regula quadam utimur, practica uerò philoſophia nobis adhibetur, ut idonei aptique ſimus perſpiciendis altioribus ſubtilioribusq; rebus. Verùm equidem potiùs hæc miſſa nos facere oportere cenſeo, ſiquidem tum cum nobis ſermo de diſciplina morum habebitur uidendum erit, an practica diſciplina contemplantis philoſophiæ cauſa comperta ſit necne: nunc uerò ex ijs quæ propria logicæ artis ſunt, ſpectandum eſſe opinor, ſcientiane, uel pars philoſophiæ, an inſtrumentum potiùs logica ſit. Tum Gorla, Logicam haudquaquam ſcientiam eſſe hac ratione concludi facilè poteſt, quòd logica eſt quædam ratio perſpiciendarum rerum: ſiquidem ab Ariſtotele ſecundo libro metaphyſicæ ſapientiæ, ea ipſa ars non ſcientia ſed ſciendi modus, interprete Auerroë, nuncupata ſit: quo quidem in loco Ariſtoteles inquit, Impar inconueniensque eſt ſimul & ſcientiam & ſciendi rationem modumque perquirere: ex qui-

bus uerbis facilè colligitur ex ſententia Ariſtotelis, *logicam nequaquam ſcientiam eſſe: nam ſi ſcientiam eſſe eam philoſophus diiudicaſſet, quid cum logicam eſſe ſciendi ac perſpiciendarum rerum rationem aperuit, eam a ſcientia abiunctam alienamque eſſe non tacita oratione ſignificaſſet?* Huic ita *reſponſum eſt a* Raueslato, Duplex *eſt ſcientia, altera quæ generatim ſumitur, altera uerò quæ particulatim accipitur: quæ particulatim capitur ſcientia, neutiquam modus aut ratio intelligendarum rerum cenſeri debet: nihil tamen probibet, quin ea quæ in uniuerſum ſumitur ſcientia, ſimul & ſcientia & ratio cognoſcendarum rerum ſit, quod genus logica eſt, quam communem atque generatim ſumptã eſſe facultatẽ, autho ritate & teſtimonio* Ariſtotelis, *ſupra oſtenſum eſt.* Huius *ſententiam* Gorla *ita refellit,* Ratio *modusque perſpiciendarum rerum ſubſequitur ipſam rerũ perſpicientiã et ſcientiã, quandoquidẽ a ſcientia id quod eſt ſcire, tanquã quod coniunctum coagmentatumque eſt ab eo quod ſimplex ſolitariumque eſt, deducitur: cæterùm ſciendi ratio ſubſequitur idipſum quod ſcire eſt, igitur etiã ſcientiã conſequitur: neq; enim ſiquid poſterius eo eſt quod conſequens habetur, non eo poſterius etiam dici debet, quod antecedens perhibetur.* Huius *ſermoni* Raueslatus *ita refragatus eſt.* Ex *ijs, inquit, quæ abs te tradita ſunt, facilè conuincitur, logicam haudquaquam communem eſse aliarum artium, neque eiusmodi eſſe, a qua cæteræ facultates principia mutuentur; quæ quidem ſententia pugnat cum* Ariſtotelis *opinione, quippe qui primo libro phyſicorũ, teſtimonio* Auerrois & Themiſtij, *metaphyſicã et logicã facultatẽ ſuppeditare principia reliquis theorematibus*

uoluit: ſiquidem rationem cognoſcendarum rerum, quam logicam eſſe non diffiteris, non ſolum ſcientia, uerumetiã eo ipſo quod ſcire eſt, iuniorem poſterioremque eſſe tradis: ut logicam ab eo quod eſt ſcire potiùs ductam eſſe, quàm idipſum quod ſcire eſt a logica proueniſſe ſignifices. Zaphyrus uerò, qui Gorlæ ſententiam defendere inſtituit, logica, inquit, quodammodo a cæteris facultatibus profecta eſſe dicitur, quæ tamen certa quadam ratione nobis aditum ad cæteras facultates aperit; quoniam hac ratione a reliquis artibus, præſertim a philoſophia ortũ habere dicitur, quòd uiri ſapientes, ex his quæ perſpexerunt, collegere quaſdam communiores præceptiones, quæ quidem ad omnes artes & diſciplinas accommodari poſſint, ex quibus ſanè præceptis, logicam artem conſtare conſtructamque eſſe facilè patet: itaque logica ab eo quod eſt ſcire deducta eſſe creditur. Cæterum quia huiusmodi præcepta omnibus diſciplinis accommodantur, ideo communis aliarum artium eſſe cenſetur, atq; ijs ipſis artibus primordia inſerere memoratur: quemadmodum grammatica ex ijs quæ certa lege rationeque idonei ſcriptores obſeruarunt conſtat, quæ quidem etiam lex regulaque eſt his qui lege rationeque loqui propoſuerunt: itaque a bonis orta autboribus grammatica ſe ducem ijs exhibet, qui boni authores eſſe ſtudent: ſiquidem ea duce & magiſtra iuniores ueſtigia priſcorum illuſtriumque ſcriptorum faciliùs imitantur. Ex his ſatis patere arbitror, quemadmodum a cæteris artibus progenita ſit, ac quo pacto cæteras artes pariat logica facultas. Nec Zaphyri oratione in eius ſententiam ſe detractum eſſe Raueslatus ait, quin potiùs Zaphyrum diſceßiſſe in Raueslati ſententiam idem Ra-

ueslatus affirmauit: quandoquidem ortam eſſe a philoſophis eam logicæ partem ipſe Zaphyrus haud dubiè retulit, quæ ex communibus præceptis conſtaret, quæ quidem præcepta in alijs facultatibus uſurpari conſueuerint: quibus uerbis ſignificatum eſſe a Zaphyro ait, eam quæ in uniuerſum ſumitur logica, rationem intelligendarum rerum, non ſcientiam eſſe, id quod a ſe initio planè oſtenſum eſſe idem Raueslatus aſſeuerauit: neque enim a ſe hanc logicæ partem quæ generatim ſumpta eſt, ſed tantum eam quæ particulatim accepta eſt, ſcientiam nuncupatam eſſe inquit. Hæc uerò illi Contilius retulit, Mihi id non ſolum non ueriſimile, ſed incredibile etiam uidetur, eam quidem logicæ partem quæ latiſsimè patet, atque in omneis partes diffunditur, indignam eſſe quæ ſcientiæ nomen amplectatur, hanc uerò quæ breuiori gyro clauditur, anguſtiorēq; occupat aream, digniorem eſſe, cui ſcientiæ nomen inditum ſit. Nam contrà, quæ capacior, quæque latiùs patet logica ars, utpote qua anguſtior etiam logica clauditur, ſcientiæ nomen ueriùs ac iuſtiori de cauſa ſibi aſſumere uidetur, quæ uerò contractior arctiorque logica facultas eſt, ut quæ latiori ac generatim ſumpta logica concluditur, uel nullo pacto occupare ſcientiæ nomen, uel ſi ſcientiæ nomine cenſetur, id communiori logicæ acceptum referre: ſiquidem, cum quæque integra res ſingulis partibus dignitate antecellat, quis neget communem logicam, utpote integram perfectamq;, præſtantiorem eſſe arctiori logica? quæ quidem pars quædam ſuperioris capaciorisq; logicæ eſt. Iam uerò facultas ea, quæ ſcientiæ nomen ſibi uendicat, præſtat ei arti, quæ ſcientiæ nomen minimè obtinuit; quo efficitur, ut fuſiùs ſumpta logica, quippe quæ

præſtabilior eſt ea, quæ in gyrum compulſa atq; in anguſtias redacta logica, æquiùs digniùsq; ſcientiæ nomen ſortiri debeat, quàm breuis contractaque logica. Cui Caſtilioneus refragatus ſic inquit, Vnaquæque ſcientia in proprio genere uerſatur, ut teſtatus eſt Ariſtoteles primo lipro poſteriorum analyticorum his uerbis, Singularis ſcientia ſingularis generis eſt, ex quibus uerbis ſapientiſsimi philoſophi facilè nobis concludere licet, hanc quæ profectò ſe communem cunctis artibus præbet logica facultas, haud quaquam ſcientiam cenſeri oportere, quandoquidem nullum certum definitumque genus exiſtit, quod quidem ea facultas ſibi ſubijciat. Idem philoſophus eodem libro inquit, Id quod ſcientiæ ſubijcitur, nobis perſpectum eſſe oportet, atq; ipſum & eſſe, quidque idem ipſum ſit, nobis compertum exploratumq; eſſe debet, id quod Scotus uir acutiſsimus enodanda metaphyſica ſapientia Ariſtotelis planiùs aperuit: quippe qui id quod ſubeſt ſubijciturq; ſcientiæ, maximè, luculentèq; perſpectum nobis eſſe tradidit. Iam uerò logica, quæ cõmunis omniũ artiũ eſt, propriæ expers materiæ et ſubiectæ rei eſt, ut Ariſtoteles memorauit primo libro rhetoricorũ: quod cũ ita ſit, qui poteſt huius facultatis genus, quod quidem nullum eſt, nobis illuſtre perſpectumq; eſſe? ac quonammodo id quod neutiquã exiſtit uerè et eſſe aſſerere, et definire ualemus? Ex ijs itaq; patere arbitror, facilè concluſum eſſe, hanc, quæ ſeſe latiſsimè atq; omneis in partes diffundit logica facultas, minimè ſcientiam habendã eſſe. Cui Contilius inquit, Non equidẽ affirmaui hanc fuſiùs ſumptam logicã ſcientiam eſſe, uerùm eã perinde, aut magis etiã fortaſſe dignã nomine ſcientiæ, quàm hanc preſsiùs acceptã logicæ partẽ eſſe retuli. Itaq;,

uel neutram, neq; breuiorē neq; capaciorē logicam meritò ſcientiam nuncupari debere aſſero, uel ſi hanc, quæ in breuiorem gyrū ducta coërcitaq; eſt logica, quæq; pars latioris cōmuniorisq; logicæ pars eſt, ſcientiam eſſe ſtatuerimus, hanc quoq;, quæ integra, quæq; in uniuerſum ſumpta logica, a nobis ſcientiarū numero aſcribendam annumerandamq; eſſe dijudico. Quòd ſi etiam cōmuniorem latiùsq; patentē logicam ſcientiam eſſe a nobis probatum fuerit, inquit Saulius, nonne contractā atq; anguſtam hanc logicæ facultatem ſcientiam eſſe cōuincetur? Cui Caſtilicneus, Haud ſatis intelligo, qui oſtendere ualeas, cōmunem hanc facultatem, cui nulla certa res ſubiecta eſt, ſcientiā eſſe: ſed tamen mihi pergratum eſt, hoc abs te diſcere, ac qua ratione ductus ſcientiam eam in uniuerſum ſumptam facultatē eſſe contendas, ſcire cupio. Quem contra Saulius ita effatus eſt. Metaphyſica omniū artium communis eſt facultas, ut aliàs, in ſententiam Ariſtotelis, in hac celebri corona concluſum eſt: at metaphyſica minimè omnium adumbrata, ſed potiùs certiſſima, ac ueluti in ſolio conſtituta ſcientia eſt, ut cuiuis facilè colligere eſt ex ijs quæ a præſtantiſſimo philoſopho in prologo metaphyſicæ ſapientiæ conſcripta ſunt. Quod ſi metaphyſica, quæ communem ſe cunctis facultatibus præbet, nihilominus tamen, non ſolùm ſcientia, uerumetiam præclariſſima & certiſſima ſcientia eſſe creditur; quid prohibet, quominus logica quoque, quæ in medium allata eſt, communisque aliarum eſt artium, ſcientia habenda ſit? nam ſi ſua metaphyſicæ doctrinæ liberalitas ac bona ea quæ cunctis artibus ipſa elargitur, non modò non obſunt, uerumetiam plurimùm ornamenti decorisque afferunt, ac dignam ipſam

nomine ſcientiæ maximè reddunt, quid cauſæ eſt, quamobrem ſua quoque logicæ munificentia & liberalitas non ſolùm non ullum decus afferat, uerumetiam plurimùm obſit? indignamq; nomine ſcientiæ præſtet? Saulij orationem Camutius uir grauiſſimus ſubtiliùs quidem, minùs tamen uerè pronuntiatam eſſe retulit: quapropter, ut Caſtilionei, quem unicè diligebat, cauſam ageret, ita cum Saulio egit, Quanquam utraque facultas, logica & metaphyſica communis omnium artium eſt, ut aliàs & relatũ, & teſtimonio Ariſtotelis probatum eſt, tamen uniuerſitas, quæ quidem logicæ eſt, impedimento eſt, ne logica ſcientia ſit; porrò uniuerſitas metaphyſicæ minimè obſtat, quin metaphyſica ſcientia exiſtat. Quicum Saulius ita locutus eſt, At reddenda ratio eſt, quare uniuerſitas logicam e collegio ſcientiarum excludat, atque ueluti in exiliũ mittat; eadem tamen uniuerſitas metaphyſicã in collegium earundem cooptet, atq; adeo cæteris diſciplinis præficiat. Nam mihi longè aliter res ſe habere uidetur: nihil enim eſt, quod cũ unũ idemq; ſit, ſuopte impulſu ac propria ui contrarios edat partus: ut, exempli cauſa, ignis quantũ in ipſo eſt, non hunc quidem hominem calore, hunc frigore afficit; licèt fortuitò atque obiter nonnullos homines nimius ignis frigentes algidosque reddat: quatenus ſcilicet dum eos nimium excalfacit, laxiores atque exinanitos calido ſpiritu tandem relinquit, quem ſanè ſpiritum per patentiores meatus elicit, ut tu optimè noſti: quippe qui a medicis hoc ſine ulla dubitatione didiciſti. Cum itaque nihil per ſe pugnantia pariat, neque etiam uniuerſitatem pugnantium, diuerſarumque inter ſe rerum efficientem eſſe putandum eſt: ex quo ſanè efficitur, ut uniuerſitas, uel

utrique facultati, logicæ & metaphyſicæ, uim nomenque ſcientiæ adimat, uel, quod potiùs reor, ſcientiæ appellationem poteſtatemque utrique diſciplinæ aſſerat tribuatq;. Huic a Camutio ita reſponſum eſt, *Rectè tu quidem iuuenis candidate negas ab eadem cauſa contrarios partus procreari, ſiquidem non modò non aduerſi contrarijq; fœtus ab unica cauſa progignuntur, ſed ne quidem qui uel tantillum diſcrepent inter ſe effectus ab eadem cauſa produci queunt: etenim ab unica cauſa, quatenus unica ac ſingularis ea exiſtit, ſingularis partus emanat, quemadmodum teſtatus eſt* Ariſtoteles *in libro qui de ortu & interitu inſcriptus eſt: itaque, ut ipſe ſcitè locutus es, eadē uniuerſitas contrarios edere partus nequit: neque enim quæ metaphyſicæ facultati ſcientiæ nomen uimque elargitur uniuerſitas, logicam facultatem ſcientiæ nomine naturaque exuere poteſt: ſed ne erres, ſic tibi perſuadeas uelim, uniuerſitatem metaphyſicæ longè diuerſam eſſe ab ea, quam cōmuniori logicæ tribuimus uniuerſitatem, quo fit, ut cum magno interuallo diſtent diſsideantque harum facultatum uniuerſitates, etiam effecta harum uniuerſitatum non parùm inter ſe diſcrepent.* Hoc quidem diſcrimen nobis palam fecit Seuerinus Boëtius *in commentarijs quæ in iſagogen* Porphyrij *compoſuit: nanq; id quod commune perhibetur, multis modis accipi uoluit, e quibus communes res nonnullas eſſe ait, quarum partes ſingularium rerum propriæ ſunt, quas quidem res partibus conſtare communibus, non item totas integrasq; communes eſſe ſcripſit: quarundam rerum uſum communem multis eſſe ſubinde ait, ueluti putei, fontis, ac ſerui: quarundam rerum communitatem tempori aſsignauit, ueluti*

theatri, templi, portus, cæterarumq; id genus rerum, quæ quadam tempeſtate quibusdam patent: tum demum genus cõmune eſſe ait, quod quidem totum ſingulis atq; indiuiduis in rebus ineſt: atque eodem tempore ſe totum iiſdem omnibus indiuiduis ſubiectisque rebus ſui prodigum tradit, atq; eas ipſas res parit. Nos uerò, id quod Boëtius commune uocauit, pro uniuerſitate ſumimus. Primum itaq; uel rei communis, uel uniuerſitatis genus metaphyſicæ doctrinæ meritò accommodari poſſe cenſemus: ac ſi ita metaphyſica omnium artium cõmunis ſit, ut eius ſubiectum, quod quidem exiſtit idipſum quod eſt, haud totũ ſingulis artibus inſit, uerùm ſingulæ eius partes ſingularum artium propriæ peculiaresque habeantur: ſiquidem idipſum quod eſt ſingulæ artes quæ in rebus uerſantur, partitæ inter ſe ſunt. Secundum genus uniuerſitatis logicæ facultati idoneè concinit & quadrat: etenim ea inſtar ſeruorum, quorũ quidem ius arbitriumq; penès multos homines eſt, in omnium artium uſum adhibetur: atque, ut uno uerbo dixerim, res ipſa, quæ ſeſe metaphyſicæ ſubijcit, diſciſſa, ac ueluti in membra diuulſa, multis artibus ſeſe communem exhibet: hoc eſt, metaphyſica alias propriæ materiæ & facultatis partes alijs artibus ſuppeditat: porrò logica haudquaquã propriæ facultatis materiæque, quæ nulla eſt, partes artibus ullis commodat, ſed potiùs cunctis artibus famulatur: ex quibus patet metaphyſicam quidem ſcientiam eſſe, quæ ſcilicet propriam agnoſcit materiam, quam quidem alijs artibus elargitur: logicam uerò eam quæ latiſſimè patet, communisque aliarum artium eſt, minimè ſcientiam habendam eſſe, cui ſcilicet nulla certa res ſubiecta eſt: ſcientia nanque rei, quæ ſcientia percepta eſt,

170

ſcientia perhibetur. Io. Stibius inquit, Equidem ſatis pa-tere arbitror, communem ac fuſiùs acceptam logicam ſci-entiarum numero neutiquam annumerandam eſſe: illud non dum declaratum eſt, an ea quæ preßiùs capitur, quæque intra breuiorem gyrum clauditur logica, ſcientia ſit nec-ne, quam tamen Raueslatus ſcientiam eſſe magna animi contentione inſtabat. Is etiam Gorlæ, qui logicam ſegre-gat ab earum facultatum conſortio, quæ ſcientiæ nomen uendicant, aduerſatus eſt, negauitqus priuatam logicam ſeiungendam eße a ſocietate earundem facultatum, quibus ſcientiæ nomen eſt, licèt cõmunis logica (ſic enim ipſe ait) indigna ſit quæ ſcientiæ appellatione contineatur. Quam obrem illud etiam atque etiam uobis uidendum eſſe cenſeo Academici uiri, an hæc ipſa priuatim ſumpta logica ſci-entia, itemq; philoſophiæ pars ſit, an potiùs inſtrumen-tum: ſiquidem de hoc problemate ad nobilißimum hunc or-dinem cœtumque Academicorum relatum eſt, ut tandem quæ propria logicæ facultas materiaque ſit, ac quemad-modum ea cum cæteris diſciplinis conueniat, quemadmo-dumq; ab eis dißideat planè intelligere queamus. Nam niſi mihi exciderunt memoria quæ a Rauerta initio pro-poſita ſunt, ac ueſtro omnium conſenſu probata, hæc tractandis quibusque artibus tantummodo nobis ſpectan-da ſunt, quæ ſcilicet earum ſubiectio materiesque ſit, quibusque uinculis ſingulæ earum cum alijs diſciplinis iun-ctæ conglutinatæque ſint, quoque modo a germanis affi-nibusq; facultatibus ſecerni ac diſtingui ualeant, quam le-gem uobis non ſecus in logica arte atq; in cæteris diſcipli-nis ſeruandam eſſe proculdubio intelligitis: uerùm dum in hæc diuerticula abitis, legem ipſam, quam promulgaſtis, ipſi

ultro negligitis: ob quam quidem rem uobis ſuadeo, ut ad rem redeatis, doceatisque, an priuata logica ſcientia ſit necne: quandoquidem de hoc problemate priùs diſceptandum eſſe a nobis concluſum eſt, quàm ſatis dilucidè apparere poßit, quam ſibi aſciuerit uendicaueritque materiam logica facultas. Quòd ſi eum quem initio propoſuimus, quemque ſequi inſtituimus, callem inſiſtemus, nos breui ad metam perductum iri confido: ſin quæ cuiq; dubia incertaque ſunt diſſoluere nobis collibuerit, ſæpius a uia deerrabimus, atque aut uix aut nunquam inſtituto operi ultimam manum imponemus. Hæc Stibius locutus eſt, cui Raueslatus, Meæ, inquit, partes ſunt, probare priuatam logicam ſcientiam eſſe, id quod me facturum oſtenderam. Ea ars ſiue facultas, in qua certa demonſtrantur concluduntúrque ratione ea, quæ quidem in arte ſiue facultate traduntur, ſcientia eſt, id quod in ijs artibus uidere licet, quæ ſcientiæ nomen amplectuntur: ſiquidem in cunctis ijs res certa demonſtratione colliguntur. Porrò quæ logica nos docet, firma ratione, atque haud inficianda demonſtratione colliguntur: ex ijs planè perſpicuum eſt, ſcientiæ nomen logicæ facultati haudquaquam diſſentaneum eſſe. Cum enim demonſtratio a ſcientia ſeiungi nõ queat, ut colligitur ex ijs quæ ab Ariſtotele primo libro poſteriorum analyticorum de demonſtratione ſcripta ſunt, efficitur, ut hæ facultates, quæ idonea demonſtratione ac certa ratione ſuum peragunt inſtitutum, & propoſitum conſequuntur, meritò ſcientiæ nomine cenſeantur. His adſcribenda annumerandaque logica eſt, quippe quæ non ſine firma demonſtratione concluſionem conficere conſueuit: meritò igitur logica ſcientia eſt. Huc accedit, quòd quæ

ineſſe in ſcientia conuenit, logica complectitur: etenim propria facultas & materia logicæ ſubiecta eſt: proprietas quoque ſua de ſubiecta logicæ materia haud dubiè affirmari poteſt, ac non ſine firmiori ratione in ea inſita eſſe intelligitur. Nec minùs ex diffinitione, qua nulla præſtabilior firmiorque ratio eſt, ſuam ineſſe logicæ materiæ proprietatem ſatis patet. Ex ijs facilè perſpicuum eſſe arbitror, priuatam ac particulatim ſumptam logicam ſcientiam eſſe; ijſdemque, quas ipſe ſubieci rationes, fretus acutiſſimus atque præſtantiſſimus uir Scotus contendit probare logicam in ſcientiarum numero non iniuria haberi poſſe. Hinc etiam liquidò patet, hanc ipſam, de qua agimus, logicam philoſophiæ partem eſſe, id quod nobis probandum erat. Cum Raueslato ita Zaphyrus egit, Et ſi ſatis idoneè Scoti rationes abs te adductas eſſe intelligo, quibus logicam hanc, quæ preſſiùs capitur, ſcientiam eſſe oſtendas, tamen cũ ipſe non minus ſciens quàm diligens medicus ſis, atque magis medicam quàm logicam artem profitearis, miror te non potiùs animaduertere, quid medici, quàm quid logici de aliqua arte differant; cũq; alias medici, alias dialectici in ſcientia proprietates requirant, quare non eas, quæ a medicis, potiùs quàm quæ a logicis tributæ ſunt ſcientiæ proprietates, ipſe expoſuiſti? Manardus optimus atque eruditiſſimus medicus in cõmentarijs in librum Galeni, qui breuis ars inſcribitur, negat medicinam ſcientiam eſſe, propterea quòd ea non ſibi ipſi finis eſt, ſed alium ad finem ſpectat, atq; operis gratia comparata: non enim medicina eo inuenta eſt, ut eius præcepta duntaxat a nobis perdiſcantur, uerùm hac potiùs de cauſa, ut in opere ſimus, atque ea curemus

conficiamusque quæ ea ipſa ars nobis præcipit. Itaque *a propoſito fine ſcientiam denominari oportere* Manardus *uir alioquin eruditus inquit, cui quidem, utpote medico præſtantiſsimo, te medicinæ profeſſorem potius accedere decuit, quàm Scoto uel logico uel ſophiſtæ. Quòd ſi etiam quæ a Scoto ſcientiæ aſcripta ſunt diligenter ſpectauerimus, ea quoq; in medica facultate planè deprehendemus: ſua enim huic facultati materia ſubiecta eſt, hoc eſt humanum corpus, quatenus arte curari poteſt, ut Galenus ſexcentis in locis teſtatum reliquit: nec uerò deſunt proprietates huius ſubiectæ materiæ, neq; non proprietates eæ de humano corpore, quòd arte & ſtudio curari ualeat, enuntiari poſſunt, etenim a ſuis cauſis humani corporis affectus proficiſcuntur, ex quo efficitur, ut definitione hoſce affectus ineſſe humano corpori, quòd ſua medicinæ ſubiecta materies eſt commonſtrare poſsimus: quæ cum ita ſint, haud ſecus medicinam atque logicam ſcientiam eſſe apparet, quam tamen medicæ artis notitiam ſcientiam eſſe idem* Manardus *inficiatur: quare luce clariùs patet, haud ſatis probatum eſſe his quæ abs te redditæ ſunt rationes, logicam ſcientiam eſſe: quem contra* Raueslatus *ita effatus eſt.* Nobis *haudquaquam propoſitum eſt, quærere ſcientiane an non ſcientia ſit medica facultas: tantùm id in quæſtionẽ uocatur; an logica, quæ particulatim priuatimque accipitur, ſcientia ſit: ſatq; nobis eſt, probare logicam facultatem ſcientiam eſſe: cui quominus ſcientia ſit, medica facultas haudquaquã impedimento eſſe poteſt, ſiue ſcientiæ nomen obtinuerit ſiue eius nominis expers ſit ars medica.* Iam *uerò ſcientiam eſſe logicam a nobis ſat probatũ eſſe opinor: nã nihil huic facultati deeſſe oſtenſum*

eſt,quod ſcientia ſibi aſciſcat et poſtulet. Ecquis *neget hanc ipſam logicā facultatē ſcientiā eſſe,quæ cunctas dotes pro prietatesq; ſcientiæ poßidet?* Tum Zaphyrus *ait*, Atqui *præcipua dos et proprietas ſcientiæ,quā* Manardus *negauit tributā eſſe medicæ facultati,logicæ quoq; deeſt,nanq; a fine tanquā a præſtabilißima cauſa ſcientiā appellari oportere* Manardi *teſtimonio ſupra a nobis oſtenſum eſt*. Porrò *ſi q̄ propria ſūt utriuſq; artis,medicæ et logicæ animaduertamus,neutrā ſcientiā eſſe luce clariùs apparebit:etenim, quemadmodū medicina uſus atq; operis cauſa excogitata inuentaq; eſt,atq; nō ſibi ſed operi nata eſt; ſimili modo logica in hoc eſt inuenta,ut ad uſum adhibeatur, nec ſibi ſed reliquis facultatibus nata eſt;hocq; tibi medico uidendū eſſe dixeram,potiùsq; animaduertere te oportere,quid* Manardus,*quàm quid* Scotus *de proprietatibus ſcientiæ locutus ſit retulerā:quandoquidē ex ijs,quæ* Manardus *nō imperitè ſcientiæ aſcripſit tribuitq;,planè perſpicuū eſt, logicā atq; medicam artem ſeiungendā eſſe ab earum facultatū conſortio, quibus ſcientiæ nomen eſt*. Cui Raueslatus *inquit*, Negauit Manardus *medicinam ſcientiam eſſe, propterea quòd ipſi non ſpeculatio, qui ſuus ſcientiæ eſt finis, propoſita eſt, ſed opus, hoc eſt curatio: quòd cum logicæ non opus aut ulla corporis exercitatio ſcopus ſit, ſed inueſtigandi ueri ratio, quæ ſpeculatio eſt, etiam ex uerbis* Manardi *conſtat logicam ſcientiæ nomine cenſeri debere, medicinam uerò minimè*. Cui Caſtilioneus *occurrit, hac itidem ratione ſophiſtarum ars ſcientia nuncupari debet, ſiquidem ea ſibi propriam materiā paralogiſmū ſubijcit: quinetiam in ea arte proprietates paralogiſmi certa lege traduntur,quæ quidē ars haudquaquā actionē,aut ullū cor*

poris exercitiũ tanquã ſcopũ finemq́; proprium ſpectat: ſed animi exercitationẽ ſibi propoſuit, atq;, ut breuiter id quod eſt pronunciẽ, nihil in ea facultate deſideratur, quod quidem ſcientia poſtulet; ſi eæ re uera ſunt ſcientiæ proprietates, eaq; munera, quæ a te memorata ſunt: quam quidem ſophiſtarum artem, nemo eſt, qui ſcientiæ nomine dignetur: cum ſcientia a demonſtratione pariatur; hæc uerò ars a cauillatione, atque ab elencho enaſcatur, tũ quia ab Ariſtotele *ſcriptum eſt primo libro elenchorum, hanc ipſam facultatem uideri quidem, minimè uerò eſſe ſcientiam, tum uerò etiam quia ſophiſtæ, ut colligitur ex eodem libro elenchorum* Ariſtotelis, *atque ex* Protagora & Euthydemo Platonis, *captare atque ludificari homines ſtudent: ſcientia uerò abſtergere errorem ex hominum animis, ueritatemq; eis in promptu ponere, omnium eruditiſſimorum uirorum conſenſu cenſetur.* Tametſi, *inquit* Raueslatus, *illud mihi minimè curæ eſt, ſcientia ne ſit ſophiſtarum ars, ſicuti neque offendor, ſiue ſit, ſiue non ſit ſcientia medica facultas, ſatque habeo oſtendere, logicam facultatem, de qua nobis ſermo eſt, ſcientiam eſſe; tamen quia partes eorum ſunt, qui aliquid cuiquam perſuadere, ueritatemque illuſtrare conantur, non ſolum propriam ſententiam confirmare ratione, ſed etiam aliorum dicta argumentis refellere ac diſſoluere; ſiquidem omnis perſuaſio, & noſtrorum argumentorum confirmatione, & aduerſariorum confutatione nititur, ut probè* M. T. C. *in libris rhetoricorum ſcriptum reliquit; iccirco, ne dubios ac ſuſpenſos animos habeamus, tua quoque diſſoluere argumenta inſtituimus; præſertim cum non parùm ad rẽ pertineat hæc diſputatio, eò quia ſophiſtarum ars tam propinqua*

pinqua affiniſq; dialecticæ eſſe uidetur, ut nõ niſi ſapientes uiri uideant, quid inter eas facultates interſit. Sophiſtarum ars, quemadmodum & dialectica, duobus modis ſumitur, quandoquidem, ut de dialectica priùs meminerimus, dialectica aliquoties accipitur pro ea facultate, in qua quidem tractantur quædam animo occurſantes ſpecies, quæ ab hominibus in rebus ipſis inuentæ ſunt; in qua ſanè arte quædam ratio doctrinæ eſt, qua a principijs ad concluſionem adducimur, atque dialectica in hunc ſenſum accepta ſcientiæ nomen ſibi meritò aſſumpſit: nonnunquam dialectica ea facultas exiſtit, quam in uſum adhibemus; quippe cum in reliquis artibus & facultatibus utimur ea doctrinæ ratione, quam in dialectica ineſſe diximus: ſi itaque in hanc ſententiam accipiatur dialectica, neutiquam ſcientia cenſeri debet. Simili modo ars ſophiſtarum quandoque pro ea diſciplina atque inſtitutione ſumitur, qua ſophiſtarum principia traduntur, ita ut certa ratione ea nos admoneat, quemadmodum ex ipſis initijs in concluſionem deduci oratio noſtra ualeat: quòd ſi in hanc ſignificationem ſophiſtarum ars accipitur, ſcientia haud dubiè perhibetur, ut Scoto uiro ſolertiſſimo uiſum eſt: etenim ſophiſtarum facultas certis ſeſe ſuſtinet ac ſuffulcit principijs; ſiquidem unitatem uocis tanquam nõ irritum aut caducum principium & adiumentum admittit, quo ſanè de ſophiſmate, quæ propria illius ſunt, affirmare homines conſueuerunt. Cum uerò hac ipſa inuentione uti ſolemus, ut aliquid falsò colligamus, adhibito ſophiſmate ſiue paralogiſmo, tunc hæc ipſa ars reijcitur atque exploditur à conſortio earum facultatum, quibus ſcientiæ nomen impoſitum eſt. Iam ſatis cuique conſtare ar-

bitror, quonam pacto dialectica, itemque ſophiſtarum inſtitutio digna indignaque ſit ſcientiæ nomine: proinde hæ rationes, quibus hanc artem inanem, ac ueluti præſtigijs nos ludentem eſſe arguis, ad eam ſophiſtarum facultatem accommodari debent, quæ in uſum adhibetur, quaque falsò res colligimus, ac captiunculis quibusdam ludentes aduerſarios in errorem deducere conamur. Cæterum ad eam ſophiſtarum facultatem, quæ ſibi ſcientiæ nomen aſſumpſit, haudquaquam pertinent tua argumenta, ut facilè cuiuis intelligere licet. Tum Caſtilioneus inquit, *Si rectè teneo quæ pauloante abs te memorata ſunt de utraq;, communi ſcilicet & priuata logica, ea cum his quæ modo dixiſti planè pugnare uidentur: ſiquidem ſuperiùs eam quæ in medium affertur, quæ communem ſe cunctis artibus præbet logica, ſcientiam eſſe negaſti, modò eandem ſcientiam eſſe contendis: nam cum inquis, dialecticam ſcientiam eſſe, ſi accipiatur pro ea facultate, in qua pertractantur quædam ſpecies ſimulachraque rerum, quæ animo homines & complectuntur, & in rebus ipſis indagarunt, non ſine certa ratione doctrinæ, qua quidem a principijs ad concluſionem epilogosque trahitur oratio, hæc, quæ modò in ſcientia deſideras, in communiori logica perſpicuè uiſuntur. Itaque facilè conſtat, hanc ipſam patentem, perque omnia fuſam logicam, ſcientiam eſſe, eandem tamen in earum facultatum numero, quæ ſcientiæ nomen obtinent, minimè habendam eſſe ſupra memoraſti. Neque ſatis uideo, qui ſophiſtarum notitia & ars ſcientiæ nomen uſurpare queat, communis uerò logica idem ipſum dignum memorabileque ſcientiæ nomen ſortiri non queat: nam perinde ſeſe ſophiſtarum ars cũ cæ-*

teris artibus commiſcet , ſeque omni hominum congreßui & ſermoni inſerere ſolet , atque dialectica : nihil enim prohibet , quominus id quod rectum eſt , ubiubi fuerit , contorqueri atque obliquari poßit ; ſi tamen rectum id eiusmodi fuerit , ut etiam in obliquum inflecti ualeat : quo efficitur , ut quemadmodum logica oratio , quæ quidem omnibus in rebus uſurpari conſueuit , quam rectam congruentemque eſſe , ita tamen ut deprauari ſiue obliquari poſſit , iudicamus , ad omnium artium uſum accommodatur , atque omni de quibusque rebus habito ſermoni ſe intermiſcet ; ita eadem ipſa perperam , atque obliquè , uitiosèque pronuntiata , ijsdem in artibus , eodemque in ſermone rerum ineſſe poßit : quòd ſi iccirco logica ſcientiæ nomine minùs digna habetur , quòd uſitata eſt , atque uagè paßimque per omneis artes diffunditur ; cum eandem libertatem licentiamque uagandi ac diffundendi ſui omnibus in artibus nacta ſit ſophiſtarum ars , eadem ratione hæc ipſa ſophiſtarum facultas haudquaquam ex genere ſcientiæ manaſſe exiſtimanda eſt . Caſtilionei ſententiam confirmauit M. A*ntonius* M*aioragius, qui eandem libertatem facultatemque differendi de omnibus rebus oratori permiſſam eſſe ait.* Eodem *pacto, inquit, in rhetorica arte ipſius quidem artis principia memorantur , ac ſimul docemur, qua ratione ab ijs primordijs et inſtitutis ad id quod colligere conſtituimus ducere orationem idoneè poßimus : itaq; æquè dignam eſſe rhetorũ facultatem ait, quæ ſcientia nuncupetur, atq; communem dialecticam, quam rhetoricæ arti ex altera parte reſpondere* A*riſtoteles uoluit.* Q*uòd ſi ex eo quòd principia in arte expoſita ſunt, quòdq; ex ijs primordijs certa quadã lege propoſitũ concluditur,*

ars ipſa ſcientiæ nomine cenſeri debet, grammaticam quoque in ſcientiarum collegium meritò cooptandam eſſe quis non uidet? quam tamen minimè dignam eſſe, quæ ſcientiæ nomine celebretur, omnes peritiſsimi uiri aſſeuerant: ſiqui dẽ ex ijs initijs, quæ in arte ipſa traduntur, quæ cõgruens, quæque appoſitè, ac quæ minùs rectè contexta eſt oratio, facilè colligitur: atque, ut uno uerbo dixerim, inquit, uniuerſæ artes, tam ſeruiles quàm quæ ingenuæ liberalesque ſunt, certis præceptis conſtant, quibus fabrefacere, & rectè dolare propoſitum opus artifices certa ratione docentur: id uerò quidnam aliud eſt, quàm ab initijs ad concluſionem, hoc eſt, ad rationem perficiendi operis artificum animum perduci? itaque ſatis conſtat, cunctas artes ſcientiæ nomen uſurpare poſſe. Quòd ſi hanc ſententiam recipimus, Ariſtoteles ſexto libro ethicorum artem a ſcientia inſcitè ſeparauit: ſiquidem eadem facultas, quæ artis nomen ſibi uendicat, etiam ſcientiæ nomen adepta eſt. Libet uerò hoc loco uerba Ariſtotelis, quibus artem a ſcientia diduxit, recitare. Scientia, inquit, neque ars, neque prudentia eſt: quandoquidem ſcientia earum rerũ eſt, quæ nullam ſuſtinent uiciſsitudinem, quæque minimè immutantur, quarumque rerum certa lex demonſtratioq; eſt: porrò prudentia pariter atq; ars hiſce in rebus uerſantur, quæ uarietati obnoxiæ ſunt. Atque, ut ingenuè fatear quid ſentiam, diuino Platoni aſſentior, qui logicam tum philoſophiæ partem, tum etiam inſtrumentum eſſe ſtatuit; nam ueluti duplex ſextarius eſt, & quem metimur, & is quo uinum cæteroſque liquores emetiri conſueuimus, hic inſtrumentum, ille uerò in inſtrumentum coniectus humor; conſimili ratione logicam a rebus ſeiunctã

philoſophiæ inſtrumentum eſſe, cum rebus uerò copulatam & coniunctam philoſophiæ partem eſſe Plato *memorauit, quæ ſententia* Boëtio *præſtantiſsimo ac grauiſsimo uiro mirificæ probata eſt, quam quidem ratione confirmare nõ dubitauit, ut plus fidei Platonicæ opinioni a nobis habeatur.* Nihil, *inquit, obſtat, quominus eadem logica facultas & partis & inſtrumenti uice fungatur, quòd enim proprius ei conſtitutus propoſitusque eſt finis, isq; a philoſophis animaduertitur & perpenditur, iccirco philoſophiæ pars exiſtimanda eſt: quòd autem idem ipſe logicæ finis, quem philoſophi contemplantur, ad alias philoſophiæ partes ſpectat, ijsque ſuam pollicetur operam, hac de cauſa inſtrumentum philoſophiæ eſſe logicam minimè diffitetur* Boëtius, *idque exemplo ſatis ad rem accommodato clariùs aperuit: nam inquit,* Corporis *partes, quæ proprijs funguntur miniſterijs, uicem inſtrumentorum ſubeunt: ſiquidem ijs utimur quæ tamen in corpore partium locum obtinent: manibus enim res tractare, oculis conſpicere, cæterisque membris quæ ſua eorum officia ſunt, exequi ſolemus, quæ quidem horum membrorũ munera ad uniuerſi corporis uſum utilitatemque referuntur, atque ea re eadem ipſa membra inſtrumenta corporis perhibentur, quæ quidem eſſe corporis partes, nemo eſt qui negare auſit. Similiter, inquit, logica diſciplina certa quædam pars philoſophiæ eſt, propterea quia magiſtra utitur philoſophia, eadem ſupellex inſtrumentumue eſt philoſophiæ, quòd ope & adiumento logicæ diſciplinæ, quam conquirimus philoſophiæ ſcientiam & ueritatem aſſequi & inueſtigare ualemus: ex quibus utriusque &* Platonis & Boëtij *uerbis ſatis patere arbitror, logicam facul-*

tatem duplici dote dignitateque ornatam eſſe, atque ūim partis inſtrumentique meritò præ ſe ferre. M. Antonij Maioragij oratio compluribus non ſolum digna cui fides habeatur uiſa eſt, uerumetiam periucunda fuit, parumque abfuit ab eo, ut omnes in eius uiri ſententiam uenerint. Attamen Saulius ita cum Maioragio egit. Si logicam, quam & Plato, & Boëtius, cum inſtrumentum, tum etiam partem philoſophiæ eſſe uoluerunt, eandem facultatem eſſe arbitraris, ego tibi ualde diſſentior: neque enim adduci poſſum, ut credam, eandem rem eiusdem rei inſtrumentum ſimul & partem eſſe: neque etiam humani corporis partes eiusdem eſſe corporis inſtrumenta Boëtio atque tibi conceſſerim, ſed partes quidem corporis eſſe, animæ uerò tanquam inſtrumenta famulari magis aſſeuerauerim: alioquin illud efficietur, ut id quod totum eſt ex ſe, ac ui propria, aut partem ſui moueat, aut ab ipſa dimoueatur, quod fieri poſſe negat Ariſtoteles octauo libro phyſicorum: id enim perinde eſt, inquit, ac ſi eandem rem a ſemetipſa commoueri quis dixerit; hoc uerò conſectarium nemo eſt quin perſpicuè uideat. Quis enim neſcit inſtrumenta atque arma agitari atque commoueri ab ijs, quorum ea cenſentur eſſe inſtrumenta? Quinetiam Auerroës in commentarijs in octauum librum phyſicorum ſcripſit, animam motus authorem efficientemue eſſe, ſed inſtrumentum quo quidem is motus peragitur, ingenitum eſſe calorem; corpus uerò cieri & permoueri. Idem aliàs ab anima manum, a manu bacillum, ab hoc uerò lapidem commoueri inquit; ut planè indicet, corpus corporisque partes animæ tanquam propria inſtrumenta deſeruire; cæterùm corporis partes minimè

176

eſſe eiusdem ſupellectilem inſtrumentaque corporis. Sin autem aliam eſſe logicam facultatem ais, quam philoſophiæ partem ſcientiamque cum Platone & Boëtio eſſe ſentis, aliam quæ philoſophiæ inſtrumentum cenſetur, tibi equidem aſſentior, atque diuinum Platonem, ſimul et Boëtium ſapientiſſimè locutos eſſe dijudico: ſiquidem ij partem logicæ facultatis, quæ ſcilicet communem ſe omnibus artibus præbet, philoſophiæ inſtrumentum, reliquam uerò logicæ partem, quæ propriā materiam agnoſcit, philoſophiæ partem ſcientiamue eſſe cenſuere, id quod didici ex ijs quæ hic diſputata ſunt. Io. Baptiſta Caſtilioneus, & iuriſconſultiſſimus, & poëta lepidiſſimus, ubi longiùs trahi hanc controuerſiam ſenſit, niſi me fallit memoria, inquit, cum ſuſcepta eſſet diſputatio de materia logicæ facultatis, paulopoſt a uobis quæſitum eſt, utra priùs ponenda quæſtio eſſet, eane quæ de materia logicæ artis eſt, an illa potiùs quam modò tractatis, dum dignane ſit logica ſcientiæ nomine requiritis: tum demum hac de cauſa decreuiſtis ſapientiſſimi uiri, id quod præſtatis, priùs ſpectandum eſſe, ſcientiane ſit, necne logica, quoniam hæc ipſa quæſtio procliuior expeditiorque uobis uiſa eſt, quàm ſuperior diſputatio, qua ſanè logicæ rei materia agitari cepta eſt: nunc uerò hæc ipſa controuerſia, quam & cognitu faciliorem & breuiorem fore polliciti eſtis, tot inuoluta nodis difficultatibusque, tamque longè protracta eſſe mihi uidetur; ut ſi plus laboris atque longiorem orationem altera diſceptatio exigit, uix ſperem eam ad exitum perduci poſſe; præſertim cum hæc contentio, quam remiſſiorem expeditioremque fore oſtendiſtis, iam pluribus uerbis, & prolixiori oratione

agitata, nondum finem aſſecuta ſit: atque, ut quod res eſt dicam, adeo perplexa adhuc appareat, ut neque facilè, neq; breui ipſi modũ finemq; impoſitum iri uideam. Cui Ranerius ait, *Idem ipſum mihi quoque uidetur, ſed tamen haud miror longiùs trahi ſermonem & contentionem de hac re; nam tanta præſtare doctrina hoſce diſceptatores intelligo, ut uel de tantilla & leuiſſima re eos plura, eaque ſubtiliter dicere poſſe perſuaſum habeam.* Itaque *non tam rem ipſam, de qua nobis ſermo eſt, quàm horum hominum doctrinam & dicendi copiam in cauſa eſſe iudico, ut uerboſior uberiorque ſit oratio, longiùsque quàm fortè res ipſa ferat diſputatio producatur.* Tum princeps ita Camutium, *qui grauitate iudicij, & authoritate plurimùm apud* Academicos *ualebat, allocutus eſt,* Dic *amabò, ſapientiſſime uir, quæ ſit animi tui ſententia de hac re: nam ſatis diuque tractatam hanc quæſtionem eſſe ſentio, atque quicunque de hac re locutus eſt tam firmis rationibus propoſitũ confirmauit, ut incertũ ſit cui maximè accedendũ ſit opinioni: ſiquidẽ omniũ diſputantiũ uirorum placita ſatis fide digna uidentur.* Cui Camutius *hæc reddidit, Illud quidem, præclariſſime princeps, quod diuus* Auguſtinus *ait, nunc oportunè recitauero,* Vbi *ſapientiſſimi uiri diſſentiunt atque decertant inter ſe, nemini præter deum opt. max. ueritatem internoſcere atque introſpicere integrum eſt.* Non *igitur ego auſim hoc loco ferre ſententiam, ubi uiri rerum ſcientiſſimi diuerſis animi ſententijs tantopere inter ſe diſſident: ueruntamen quæ mihi magis placeat ſententia breuiter exponam, non tanquam qui iudicium facere de hac re, ſed potiùs qui animi mei ſententiam palam facere inſtituerim.* Ego, *utpote*

qui Peripateticorũ dogmata publicitus interpretatus ſum, & Peripateticos in primis imitandos, cæteriſque philoſophorum ſectis anteferendos ſemper exiſtimaui, cum Peripateticis etiam de hac re ſentio, atque logicam non philoſophiæ partem, non ſcientiam, ſed inſtrumentum philoſophiæ eſſe arbitror, ijſque adductus rationibus, quas Franciſcus Caſtilioneus, mihi tum alijs de cauſis, tum ob inſignem uirtutem candoremq; animi chariſſimus, initio huius diſputationis ſubiecit, quas quidem deintegrò repetendas minus opinor, ſiquidem eas uobis adhuc hærere animo mediusfidius arbitror. Nunc tantummodo id agam, ut neq; philoſophiæ partem, neque ſimul & partem & inſtrumentum logicen eſſe oſtendam: quod ſi præſtitero, ſatis patebit logicam ſolius inſtrumenti uicem gerere. Quòd logica haudquaquam philoſophiæ pars ſit, ex quibuſdam Ariſtotelis ſcriptis haud difficilè colligere eſt. Is quarto libro diuinæ ſapientiæ inquit partes philoſophiæ numero ſubſtantiarum exæquari, ex quibus uerbis patet, philoſophiam aut ipſius partes in ſubſtantia uerſari, ut nequaquam eæ facultates philoſophiæ partibus annumerandæ ſint, in quibus de ſubſtantia minimè tractatur: in quarum numero logicam collocamus, cui quidem ſe ſubſtantia minimè ſubijcit. Haud multò poſt philoſophus ait, Nonnulli ſtudent inpromptu ponere ueritatem, eamque uerbis illuſtrare; uerùm id quod tentant perficere minimè poſſunt, propterea quòd analyticorum ſunt ignari, quæ qui ignorant, & capeſcere nituntur, ueritatem perdiſcere atque inueſtigare non queunt. In ueritate inueſtiganda philoſophos diſtineri atque occupari, unicuique ſatis comperitum eſſe arbitror: atque non ſolum ab Ariſtotele hic atq;

aliàs creberrimè, ſed etiam a Platone eos cenſeri philoſophos animaduertimus, qui ueritatis ſtudio & deſiderio capti altiores res ſpeculantur, quos cum priùs ſapere oportere analytica, hoc eſt poſtremam logicæ partem, philoſophus affirmet, quàm ueritatem indagent, hoc eſt, uerè philoſophentur; hinc facilè coniectare poſſumus id quod eſt philoſophari, planè diuerſum aliudque eſſe ab eo, quod eſt analytica aut logicam ſapere, quo fit, ut philoſophia a logica diſcrepet: nam iuxta præceptum topicorũ, ſi id quod eſt philoſophari ab eo quod eſt uel ſcire logicam, uel dare operam logicæ, diſcernitur, philoſophia a logica diſcernatur neceſſe eſt. Ex ijs ſatis patere arbitror, logicam haudquaquam philoſophiæ partem eſſe. Ad hæc accedit, quòd Ariſtoteles homines euaſiſſe philoſophos ait, eò quia res ſuſpiciebant atque admirabantur: ex quibus philoſophi uerbis conuincimus, philoſophos in ijs rebus quæ ſubiectæ ſunt oculis, aut duce ſenſu in animum illabuntur, quæ quidem ab hominibus ſuſpici, ijsque miræ uideri poterant, uerſari, quæ quidem res nequaquam logicæ ſubiectæ ſunt. Cum itaque pateat inter philoſophiam & logicam nonnihil intereſſe, ſatis etiam perſpicuum eſſe opinor, logicam minimè adſcribendam eſſe partibus philoſophiæ: nam quemadmodum cæteræ partes philoſophiæ, ut phyſica & metaphyſica, philoſophiæ nomine cenſentur, pari pacto ſiqua pars philoſophiæ logica foret, & ipſa philoſophiæ nomen uſurparet: cum uerò longè diuerſam eſſe a philoſophia logicã, eamq; carere nominè philoſophiæ, Ariſtotelis ſcripta planè teſtentur, quis eã philoſophiæ partem eſſe affirmarit? ſed hæc ſatis dicta ſint. Ex ijs etiam perſpicuè patet, logicã haud ſimul et partẽ & in-

178

ſtrumentum philoſophiæ iure habendam eſſe, tametſi Platoni & Boëtio ſecus uiſum eſt: etenim qui partẽ pariter et inſtrumentũ philoſophiæ logicam eſſe aßerit, idem logicã philoſophiæ partem eſſe affirmat: quoniam utranq; copulatiuæ orationis partem ueram eſſe oportere omnes logici tradunt, alioquin falsò integram ipſam orationem prolatã eſſe memorant. Itaq;, aut utraq; pars huius orationis, Logica ſimul & pars & inſtrumentum philoſophiæ eſt, uera eſſe exiſtimanda eſt; quare et hæc illius orationis pars uerè pronuntiatur, Logica eſt pars philoſophiæ; aut ſi hæc pars falsò enuntiata ſit, quemadmodũ falsò enuntiatam eſſe diximus, tota integraq; hæc oratio, Logica eſt pars atq; inſtrumentũ philoſophiæ, a uero aliena eſt, atq; tanquã quæ uana falſaq; ſit, prorſus eſt reiicienda. Ex ijs ſatis probatũ eſſe arbitror, logicã neq; ſeparatim partem philoſophiæ eſſe, neq; coniunctim et partẽ & inſtrumentũ philoſophiæ exiſtere. Reliquum eſt ut Platonis ac Boëtij rationes diluamus, quibus logicam pariter & partẽ et inſtrumentũ philoſophiæ eſſe arguunt. Ea uerò argumenta, quibus partem tantummodo philoſophiæ logicam eſſe oſtenſum eſt, quantũ ſatis eſt refutata diſſolutaq; eſſe putamus. Redeo igitur ad diuini Platonis atq; Boëtij, orationem, quæ abs te M. Antoni & fideliter & diſertißimè, ut ab oratore debuit, recitata eſt. Plato, ſicuti abs te rectè memoratũ eſt, nihil obſtare inquit, quominus logica a rebus ſemota inſtrumenti munus conſequatur, eadem uerò rebus immixta atq; adiuncta, philoſophiæ pars ſit, ueluti duplex ſextarius eſt, ut ipſe ait, alter quem metimur, ut uinum, oleum, cæteriq; liquores, alter quo uinum ipſum, oleum, liquoresque alios emetiri & librare ſolemus: uerùm, ut opinor, haud idem

eſt is qui pro menſura atque inſtrumento accipitur ſextarius cum eo ſextario, quem metiri conſueuimus: ille uas eſt quod ſextam partem congij capit, hic humor qui intra uas capitur, ita fit, ut magno interuallo hic ſextarius ab illo diſsideat: neque enim idem eſt inſtrumentum menſurareue rei ipſi quæ expenditur atque libratur. Quod cum; ita ſit, qui potuit hoc exemplo Plato oſtendere eandem logicam pariter inſtrumentum & partem philoſophiæ eſſe? cum hoc ipſo exemplo pateat longè aliud eſſe inſtrumentũ ab eo quod ipſo inſtrumento expenditur et æſtimatur: quòd ſi idem eſſe inſtrumentum cum re quam metamur ſentit Plato, id perinde eſt, ac ſi diceret, nos uaſculũ ipſum quod ſextarius dicitur, eodẽ ipſo uaſe metiri, quod quàm impar incongruumque ſit, nemo eſt qui ignoret: quòd ſi hoc diſſentaneum eſſe exiſtimatur, etiam ea quæ inde pariuntur concluduntur; haud conſentanea eſſe putandum eſt, cuiusmodi hæc concluſio eſt, Logica eadem inſtrumentum & pars philoſophiæ exiſtit: nam iſtuc ipſum eſſet, ac ſi logicam logica nos metiri & perſpicere quis affirmaret: quid uerò hoc aliud eſt, quàm ſi idem & perſpectum & obſcurum nobis, idemque ſui ipſius et pregenerans & partum effectumque memoraret? quod quàm abſurdum diſſonumque ſit, non ſolùm Ariſtotelis plurimorumq; uirorum ſcripta teſtantur, ſed etiam quisq; uel mediocri uir ingenio facilè, nullo docente, intelligere poteſt. His equidem ſatis reſponſum eſſe Platoni exiſtimo; relinquitur, uti etiam Boëtij argumentum diſſoluamus, itaque tum demũ inſtituta perfeciſſe exiſtimabimur. Hac de cauſa Boëtius logicam eſſe philoſophiæ partem contendit, quòd proprium ad finem logica ſpectat, quem quidem fi=

nem philoſophi excogitare et perpendere non iniuria cõſueuerunt : ac ſi dicat, iccirco logica philoſophiæ pars eſt, quòd logicæ artis finem tanquam proprium philoſophi agnoſcunt : neque enim ipſum ſpectarent, ſi is nihil ad ipſos philoſophos attineret. Quòd autem idem ipſe logicæ facultatis finis, quem philoſophi penitus inſpiciunt, ad alias philoſophiæ partes tendit, atque earum gratia eſt, hanc ob cauſam logicam philoſophiæ inſtrumentũ eſſe perhibet : uerùm (ut ingenuè fatear quod ſentio) Boëtius hac oratione logicam inſtrumentum philoſophiæ tantummodo eſſe oſtendit, ſiquidem, ut Ariſtoteles primo libro de moribus inquit, cum plures numero artes ita digeſtæ atque eo ordine diſpoſitæ ſunt, ut aliæ alijs ſubijciantur, atq; indigniorum fines ad eius, quæ dignitate cæteris præſtat finem pertineant, is ipſe excellentioris præſtantioriſque artis finis, id quod præſtantiſſimum optimumque eſt : ſeque cæteris reliquarum artium finibus finem exhibet: neque enim poſtremũ quidq;, ſed id quod inprimis præſtabile excellenſq; eſt, finis Ariſtoteli habetur: ut ex ijs, quæ ab eo ſecundo libro phyſicorum tradita ſunt, facilè perſpicere poſſumus: ex quo ſanè patet, has ipſas demiſſiores artes perinde atq; inſtrumenta ad dignioris artis uſum parari atq; adhiberi oportere, earumque artium fines præſtantioris artis finis inſtrumenta exiſtere. Nam quid aliud inſtrumentum eſt quàm quod alicuius finis gratia fabrefactum, dolatumque, aut excogitatum eſt? cum igitur finis logicæ ad philoſophiæ partes pertineat, earumque cauſa comparatus ſit, quis non uidet hunc ipſum finem, tanquam qui ad uſum philoſophiæ adhibetur, inſtrumentum philoſophiæ eſſe? Ex ijs quoq; conſtat, logicam,

quæ proprium ad finem tendit, qui quidem finis ad philoſophiæ finem conſtitutus eſt, philoſophiæ inſtrumentum ſupellectilemque eſſe, etenim illius cauſa excogitata eſt. Ac licet a philoſophis logicæ artis finem ſpectari Boëtius *dixerit, haud tamen ideo logicam philoſophiæ partem eſſe cenſendum eſt: nam unaquæque ars propria inſtrumenta agnoſcit, quæ tamen inſtrumenta artis ipſius partes minimè ſunt. Ac licet exemplum, quod* Boëtius *a corporis membris petiuit, ad eius inſtitutum pertinere uideatur, atque aliquid roboris habere putetur: plus tamen in fronte promittit quàm in receſſu habeat. Sanè nihil obſtare* Boëtius *ait, quominus eæ corporis partes, quibus proprium munus demandatum eſt, quæque propria uice funguntur, ſimul & partes & inſtrumenta corporis ſint: corporis quidem partes eſſe minimè diffitemur, hocq; illi facilè concedimus, inſtrumenta uerò corporis eſſe omnino negamus, ſed potiùs, quemadmodum corpus animæ inſtrumentũ eſt, ut &* Platonis *&* Ariſtotelis *ſcripta planè teſtantur, ſimili modo ſingulæ corporis partes, non corporis ſed animæ inſtrumenta cenſeri debent. Nec uerò illud* Boëtio *concedendum exiſtimo, harum partium munera atque exercitationes ad uniuerſi corporis uſum commoditatemq; duntaxat referri, nullumque alium ad finem præterea tendere: ſiquidem non corporis ſed ipſius animalis uitæ cauſa comparatæ corporis partes ſunt, cuius ſanè animantium uitæ anima efficiens conſeruansque eſt, ut minimè ad corporeæ molis uſum, ſed ad animæ potiùs, uel, ut uerius dicam, ad totius animantis utilitatem corporis membra edita a natura eſſe appareat. Id equidem teſtimonio grauiſſimorum doctiſſimorumque uirorum confirmare poſſem,*

ſed quia neque adeo incerta hæc ſunt, ut apprimè corroborari debeant, neque prolixitati orationis ſtudemus, præſertim cum ſatis multa de hac re ultro citroque agitata ſint, iccirco noſtri animi ſententiam minimè comprobandam eſſe authoritate & teſtimonio grauiorum uirorum exiſtimaui. Camutij ſententiam Rauerta admodum laudauit, atque illius uiri oratione effectum eſſe ait, ut ipſe logicam non partem ſed inſtrumentum philoſophiæ eſſe pro comperto haberet. Rauertæ & Camutij, quorum apud Academicos plurimùm uolebat authoritas, conſenſus, reliquos etiam ſocios, uel eos etiam qui eorum ſententiæ uehementer reclamauerant, in eandem opinionem deduxerunt: itaque uno omnium Academicorum conſenſu pronuntiatum decretumque eſt, logicam philoſophiæ inſtrumentum eſſe, atque Peripateticorum ſententiam Stoicorum & Platonis ſententiæ anteferendam eſſe ab omnibus dijudicatum eſt. Tum Io. Baptiſta Caſtilioneus, iuris ciuilis peritiſſimus, ac muſis ualde amicus, ita cum Academicis egit. Concluſum a uobis eſt, Academici uiri, logicam inſtrumenti uicem præſtare, atque minimè in partibus philoſophiæ habendam eſſe: ſed non ſolùm, an philoſophiæ pars ſit logica, uerumetiam an ſcientia ea ſit, a uobis dubitatum erat. Illud itaque ſcire uehementer expeto, an iccirco, quia philoſophiæ pars nulla eſt logica, ſcientiæ quoque nomen amiſerit, aut potiùs nondum adepta fuerit. Illud quoque addendum eſt his quæ a te memorata ſunt, inquit Pomponius Cuſanus iureconſultus præclariſſimus, an ideo ſcientia habenda ſit logica, quòd propriam materiam ſibi aſciuit, de qua quidem facultate & materia logicæ rei initio or-

ta ſuſceptaque eſt diſputatio , ſed ſtatim intermiſſa , ſumpta hac diſceptatione de genere logicæ artis , quam ea re prius abſoluendam eſſe a nobis ſancitum eſt, quòd leuior atque expeditior uiſa eſt, quàm ſuperior controuerſia de materia logicæ artis , attamen ea & prolixior & difficilior opinione noſtra fuit : quòd ſi plus otij conterendum , plusque operæ inſumendum a nobis eſt in quæſtione de materia logicæ, ac ſi eadem ipſa longiorem poſtulat orationem quàm hæc modò tractata quæſtio, quæ mihi & perardua , et uarietatis uerborumque plena uiſa eſt ; nihil ea quæſtione laborioſius ac plenius excogitari poteſt, ut uix modum finemq; illi imponi poſſe uideam. His *uerbis adductus* Tonſus *noſtræ reip. moderator ait* , Idem *ipſum mihi iamdudum uiſum eſt , ideoque uos admoniturus eram , ut, relictis omnibus diuerticulis , rectà pergeretis , atque ad exitum feſtinaretis , quod ut faciatis , a uobis etiam atq; etiam contendo , uosq; hortor, ut quæ neceſſaria , atque ad rem inprimis facere uidebuntur, tantummodo expediatis, ac uerbis conſequamini ; quæ uerò ſuperuacanea fuerint intacta relinquatis : quòd ſi feceritis , nos breui inſtituta perfecturos, atq; ad exitũ inchoatũ opus perducturos, neq; nõ diſputandi finem facturos confido.* Andreas Camutius *utranque quæſtionem ſibi diſſoluendam eſſe ratus, quarum altera eſt, an iccirco logica ſegreganda ſit a ſcientiarum conſortio, quòd partibus philoſophiæ neutiquam inſerenda eſt, altera uerò quæſtio eſt , num ea re ſcientiæ nomen amplecti debeat, quòd propriam materiam agnoſcit ; utriq; quæſtioni breuibus occurſurum eſſe promiſit , tum deinde retulit ſermonẽ ad eam, quæ prius propoſita eſt quæſtio, atque inquit ,* Si *ea tantùm in ſcientia deſiderantur, quæ*

quidem

quidem in demonſtratione eſſe debent, quod genus ſunt ſubiecta res, affectio, quam propriè ineſſe ſubiectæ rei per diffinitionem demonſtrare licet, cum in ea, quam docemur, logica hæ dotes inſint, quas in demonſtratione ineſſe oportere diximus; logicam ſcientiam eſſe tenendum eſt, ſiue aliqua, ſiue nulla pars philoſophiæ ea ſit: neque ſiquis nullam philoſophiæ partem logicam eſſe uelit, ea de cauſa logicam ſcientiam eſſe negat: ita in earum facultatum numerum, quæ ſcientiæ nomen uendicant, a Scoto relata eſt logica, quòd propriam ſibi aſſumpſit materiam, quòdq; peculiares propriæque de ea ipſa logicæ facultate affectiones non ſine deffinitione enuntiari ac demonſtrari poſſunt: nec minùs eiusdem Scoti iudicio logica ſcientia eſt, quatenus in ea tractantur quædam animi ſententiæ cogitationeſue in rebus inuentæ, quibus a primordijs principijsq; ad concluſiones progredi nobis licet. Tametſi uerò inter partes philoſophiæ ea connumeranda minùs ſit, attamen ſcientiæ nomen uſurpat, propterea quòd illis dotibus dignitatibusque fulget, quas, iudice Scoto, in ſcientia requirere nunc operæpretium eſt. Ac licèt plura in Scoti acutiſſimi uiri ſententiam dicere ualeamus, hæc tamen ſatis eſſe exiſtimamus, præſertim cum quæ oporteat, ac plura etiam fortaſſis quàm oporteat, de hac re ſupra memorata ſint. Dictum itaque a nobis eſt, quemadmodum logica etiã ſemota & penitus abalienata a partibus philoſophiæ ſcientia eſſe uideatur: deinceps docebimus, qua ratione aut logica nequaquam ſit ex ſcientiarum numero, aut ſi ijs interijci atque annumerari debet facultatibus, quæ ſcientiæ nomen adeptæ ſunt, neceſſariò pars philoſophiæ exiſtat. Si a fine tanquam a præcipua ac maximè condigna

cauſa res appellantur, atque ea demum ſcientia nuncupatur, quam non alterius facultatis dignitate inuitati, ſed ipſius, quam colimus exercemusque, artis ſplendore permoti capeſcimus & amplexamur; logica inter eas facultates, quæ ſcientiæ uocabulum nomenque aſſecutæ ſunt, nequaquam numeranda eſt: neque enim eam conſequi ſtudemus ipſius artis bonitate duntaxat incitati, aut percipiendi fructus gratia ex illa, ſed potiùs logicam artem eam ob rem ſectamur, ut eius ope & auxilio adiuti tectiora philoſophorum arcana & præcepta planiùs inueſtigare poßimus: ex quo efficitur, ut cum ipſa nobis præmiũ non ſit, neque tanquam finis propoſita logica ſcientia minimè uocanda ſit: cum uerò nulla facultas excepta philoſophia, ſua nos luce & dignitate illaqueet atque trahat, atque ſeipſa animos hominum tanquam ſuauißima fruge depaſcat, ac ſedatos contentosque reddat; hinc planè perſpicuum eſt, nullam facultatem, quæ ſoboles aut pars philoſophiæ aliqua non exiſtat, nobis tanquam ſuauißimam eſcam, atq; noſtri laboris præmium mercedemq; traditam eſſe: itaq; nullam artem, quæ philoſophiæ pars nulla ſit, iure merito ſcientiam habendam eſſe: ex quo liquidò patet, logicam ex eo quia inter philoſophiæ partes minimè interijcitur, ſcientiæ nomen minimè meruiſſe. Quòd autem nulla diſciplina, præterquam diuinarum humanarumque rerum ſcientia, quam philoſophiam iure uocatam eſſe exiſtimamus, ſua ſponte homines inuitet, eisque præmium ſit; hinc facilè perſpicere eſt; quòd cæteras diſciplinas iccirco ſequimur, non ut earum præceptis tantummodo inſtruamur, ſed ut eis ducibus ac magiſtris alias artes conſequamur, aut aliquid agamus, quod uel ad uitæ conſerua=

tionem, uel ad honeſtè ſanctèq; uiuendum attineat. Quòd autem ſcientia propriè cenſenda ſit ea, quã ſectamur, ut ſciamus, non ut quicquam operis exerceamus; teſtis eſt nõ ſolum Auicenna, *uerumetiam* Ariſtoteles, *ac plæriq; alij illuſtres philoſophi.* Quòd *ſi eam ſcientiæ nomine notam celebremq; facultatem eſſe uelimus, quæ in uniuerſis atq; ijs neceſſarijs rebus uerſatur, quæ demonſtratione certaque ratione nobis comparantur, ut uiſum eſt* Ariſtoteli, *utque idem & primo libro poſteriorum analyticorum, & ſecundo uolumine ethicorum ſcriptum reliquit, ſcientiæ appellatione indignam eſſe logicam nemini dubium eſt: neque enim in neceſſarijs, ijsque quæ perpetuò ſunt rebus uerſatur; non enim res naturæ, quarum neceßitudo eſt, ſed animi cogitata, quæ nulla neceßitate conſiſtunt, logicæ ſubijciuntur: ex quo facilè conſtat, logicam ideo ſeiunctam eſſe ab ijs facultatibus, quibus ſcientiæ nomen eſt, quòd philoſophiæ pars nulla exiſtit: ſiquidem ſola philoſophia his in rebus poſita eſt, quæ neceſſariæ perpetuæq; ſunt, quaſq; ſummus rerum opifex aut parens natura genuit.* Item *ſi ſcientia a rebus orta profectaq; eſt, ideoque homines philoſophi ſcienteſque effecti ſunt, quòd naturæ res admiratione proſecuti ſunt; hinc planè efficitur, ſcientiam in ijs tantum rebus ſitam eſſe, quas quidem philoſophi admirati ſunt, earum uerò rerum, quæ philoſophis admirationi fuerunt, notitia philoſophia eſt, eadem etiam eſt ſcientia: ſcientia igitur philoſophia aut philoſophiæ pars exiſtit.* Ex *ijs facillimè concluditur, logicam æquè ſcientiæ atque philoſophiæ nomine carere: cum enim haud eas res, quas logici cõmenti ſunt, quæq; logicæ arti ſubijciuntur, philoſophi antiquitus admirati ſint; qui enim eas ſuſpi-*

cere atq; admirari res poterant, quæ nondū editæ partæq; erant? aut quas ipſi multo poſt pepererunt? cumq; ſcientia ex rebus quæ priùs eſſent ortum duxerit, fit uti, quemadmodum in logica nequaquam eæ res tractantur, quæ philoſophos in admirationem traxere, quarumq; rerum philoſophia notitia eſt; ita neque de ijs rebus in logica agatur, quæ ſcientia colliguntur. Ex ijs *ſatis probatum eſſe opinor, logicam ea re ſcientiam minimè exiſtimandam eſſe, quòd philoſophiæ pars nulla eſt.* Et *ſi ſeſe animi pendere* Camutius *ſermone oſtendit, atq; ſe in dubio eſſe quodammodo ſignificauit, ſcientiane ſit necne logica; tamen quia eorum ſententiam, qui minimè ſcientiam eſſe logicam autumant, pluribus ijsque firmioribus rationibus communijt, quòdque non friuolis ſed præualidis argumentis ideo indignam ſcientiæ nomine logicam eſſe probauit, quòd in partibus philoſophiæ minimè numeratur, non ſolùm ex hac ſe eſſe ſententia tacitè arguit, ſed etiam id egit, ut penè omnes* Academici *in eam opinionem uenerint, atque logicam ita a ſcientiarū ſocietate, quemadmodum a numero partium philoſophiæ ſeuocarint ſegregauerintq;.* Vbi *ſedatam hanc controuerſiam* Antonius Magius *uidit, cum, inquit,* Andrea *uir grauiſſime, eam facultatem negas eſſe ſcientiam, quæ aut philoſophia aut philoſophiæ pars non ſit; hac tua graui ſententia mathematicas diſciplinas excludere ab hoc celeberrimo ſcientiarum conſortio & ordine conſpiceris, quas tamen arcem & faſtigium ſcientiæ attigiſſe* Ariſtotelis *atque omnium ſapientiſſimorum uirorum teſtimonio ſatis probatum eſt: nulla enim ars aut facultas planiùs certioribusque ac firmioribus rationibus inſtitutum peragit ſuum, quàm mathematicæ diſci-*

plinæ, ut Ariſtoteles plærunque teſtatus eſt: cum uerò neque philoſophia, neque philoſophiæ pars ulla matheſis ſit, fit, uti tuo iudicio, non ſolùm non primùm ſibigradum ueritatis matheſes uendicent, ac ueluti in ſcientiarum arce collocari debeant, ſed ne quidem inter ſcientias connumerandæ ſint, ſecus atque omnes probati uiri ſenſerunt. Tum Camutius, non eo, inquit, inficias, quin mathematicæ facultates primas teneant, atque ueriſsimæ certiſsimæque aliarum ſcientiarum ſint, libentiſsimèque cum doctiſsimis uiris, & ſcientiæ nomine dignas matheſes, & ſcientiarum certiſsimas eſſe iudico: uerumenimuero ob id in numerum ſcientiarum aſcribendas recipiendasque eſſe eas opinor, quòd in partibus philoſophiæ reponendas eſſe cenſeo, contra quàm ipſe ſentis. Ac ne temere atque obiter mathematicos philoſophis inſerere uideamur, Ariſtotelem teſtem citare inſtituimus. Is ſexto libro diuinæ philoſophiæ, ut ſæpius hoc loco memoratum eſt, philoſophiam tripartito diſtribuit, in phyſicam, mathematicam, ac metaphyſicam facultatem, quo loco mathematicas artes philoſophiæ partem eſſe dilucidè oſtendit, ſed hæc hactenus. Nunc ſupereſt, ut ad eam quæſtionem, quæ abs te Cuſane prudentiſsimæ expoſita eſt, noſtra accedat oratio. Illud ipſe requiſiuiſti, an ea re ſcientia cenſenda ſit logica, quòd propriam ſibi comparauit atque uendicauit materiam: ſiqua tamen peculiaris ſuaque eſt logicæ materia & facultas. Equidem, ut uno uerbo me expediam, haudquaquam ſequelam hanc recipiendam eſſe cenſeo, Logica certam ſibi aſſumpſit materiam; igitur logica ſcientia eſt. Si enim hac de re ſingulæ artes ſcientiæ nomen adeptæ eſſent, quòd propriam agnoſcant materiam; medicina quoque ſcientia

ſoret, quam a ſcientiarum numero reiectam eſſe Manardi iudicio ſupra oſtenſum eſt, in qua quidem ſententia & Auerroën & Galenum ipſum fuiſſe eorum ſcripta indicio ſunt: nam medicinæ ſua ſe ſubijcit materia, ut Galeno atq; compluribus alijs cum medicis tū philoſophis uiſum eſt: præterea ſeruiles artes ſcientiæ nomen occupare meritò dicerentur, quandoquidē in propria quæq; earū uerſatur materia, id quod uel hac Galeni authoritate confirmaſſe nobis ſatis ſit. Is in cōmentario in primum aphoriſmū Hippocratis inquit, Neq; *enim lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, et coria ita medicæ artis ſicut aliarum artiū materia ſunt, in quibus ſanè rebus multis licet impunè periculum facere, ipſamque tractare materiam.* Quis *uerò ſeruiles artes ſcientiæ nomine dignetur? quo nomine eas prorſus indignas eſſe* Ariſtoteles *ſexto libro ethicorū planè docuit.* Quòd *ſi cæteræ artes haud ideo commeritæ ſunt ſcientiæ nomen, quòd circa propriam materiam uerſantur; quid cauſæ eſt, quare logica ob id ſcientia nuncupari debeat, quòd propriam ſibi aſciuit materiam?* Ex *ijs ſatis conſtare arbitror, logicam a propria facultate ſubiectioneque ſcientiæ nomen haudquaquam trahere: ſed ne longiùs trahamus orationem, iam ea repetenda eſt quæſtio, quæ initio propoſita eſt, conquirendumq; eſt, quæ ſubiecta materies logicæ facultati ſit, quam attigeramus, atq; in controuerſiam uocaueramus, ſed mox adducta in mediū una atque item altera quæſtione præteriuimus ac penè obliti ſumus.* Nec *uerò ſilentio inuoluendam eſſe hanc diſceptationem exiſtimo: quandoquidem plurimum ad rem pertinet.* Vix *dicendi finem fecerat* Camutius, *cum* Saulius *ſic loqui cœpit,* Meæ *partes ſunt repetere, atq; in*

memoriam reuocare, quæ de materia logicæ facultatis ipſe a principe perhumaniter admonitus retulerim, id quod quàm breuiſsimè potero exequar. Ex earum genere facultatum logicam eſſe dixeram, quæ quidem facultates nõ in rebus ſed in oratione uerſantur, cui quidem pertractandæ orationi delegauimus grammaticos, rhetoras, poëtas, ac logicos: itaque logicam ab ijs diſciplinis diduximus, quæ in rebus poſitæ ſunt, quòd ipſa orationem ſibi non res ſubiecit, atque hoc ipſo, quòd in ea de oratione tractatur, logicam cum rhetorica cæterisque id genus facultatibus conuenire docuimus. Cum uerò ipſam in ſolitudinem uocare, atque intra proprios limites concludere niteremur, in ea uel parte uel ſpecie orationis, quæ enuntiatio a Cicerone in libro de fato dicta eſt, ſitam eſſe logicam teſtimonio Ariſtotelis memorauimus, atque confirmandi propoſiti noſtri cauſa locum ex primo libro de interpretatione Ariſtotelis citauimus, ubi id planiùs expreſſum a philoſopho diximus: tum demum diſcreuimus logicam non ab ijs modò facultatibus, in quibus de rebus agitur, uerum etiam ab alijs artibus, in quibus præcepta orationis traduntur, quando aliarum aliæ orationum genera complectuntur: hæc uerò id orationis genus, quod enuntiatio nuncupatur, continere cenſetur. Tum Zaphyrus, ego, inquit, alius a te ſum, aliudque eſſe genus, aliamquè ſupellectilem, in qua uerſetur logica, arbitror: licèt nihil propriè ſubijci logicæ ſupra docuerim, ac primũ aperiã quid cauſæ ſit, quamobrẽ non enuntiationẽ, ut ipſe ais, tanquã propriã materiã idoneè quadrare et reſpondere logicæ exſtimẽ, deinde quã ipſe huic arti facultatẽ remq; aſcribã expoſiturus ſum. Ac ut id quod me primò facturũ

pollicitus ſum primùm exequar, equidem enuntiationem ſuam eſſe logicæ rei facultatem tibi haud facilè conceſſerim: propterea quia, ut Scotus in commentarijs in iſagogen Porphyrij ait, præter alia quæ in ſubiecta re ineſſe operæpretium eſt, hoc præcipuè ei inſitum eſſe debet, ut quæcunque in ſcientia tractantur, ad ipſam ſubiectionem ſiue ſubiectam rem referantur, atque eius rei cauſa excogitentur animaduertanturque: alioquin unitas artis aut ſcientiæ ab unitate rei neutiquam trahetur. Quòd ſi diligentiùs perpendamus, atque animo retractemus, quæcunq; in libris logicæ exarata ſunt ab Ariſtotele, permulta ſanè intuebimur, quæ enuntiationis cauſa haudquaquam excogitata ſint: quin potiùs enuntiationem aliò pertinere, atque uel ratiocinationis, uel potiùs demonſtrationis cauſa pertractatam eſſe deprehendemus: nam æquiùs eſt, ut partes ad totum referantur, atque eius cauſa fabricentur perpolianturque, quàm ut id quod totum eſt ad partes pertineat, atque ob eas fabrefactum ſit: ſiquidem, ut teſtatus eſt Ariſtoteles, tum aliàs, tum primo libro ethicorum; quæ ſummiſsiora indigniorаque ſunt potiùs digniorum excellentiorumque rerum gratia parantur, quàm contrà: atqui totum uniuerſumque inprimis dignum perfectumque eſſe idem philoſophus in primo libro de cœlo et mundo ait: quo fit, uti partes, ut quæ minùs dignitatis quàm uniuerſitas aſſecutæ ſunt, ad ipſam uniuerſitatem totumque referendæ ſint: cum uerò enuntiatio ratiocinationis aut demonſtrationis certa pars ſit, potiùs enuntiationem ad ratiocinationem aut demonſtrationem referri oportere, quàm econtrario putandum eſt: hinc efficitur, ut nequaquam enuntiatio ſubiecta materia logicæ facultati

 185

habenda ſit. Huc accedit, *quòd de enuntiatione agitur ab* Ariſtotele *in libro de interpretatione, qui ſanè liber librū categoriarum* Ariſtotelis *ſubſequitur, ac non iniuria; etenim dictionum notitia, quam ex categorijs percipimus, ancecedit notitiam orationis atque enuntiationis, quæ nobis ex libro de interpretatione comparatur.* Idem *liber de interpretatione & natu maior & ordine prior, quàm uolumen priorum itemque uolumen poſteriorum analyticorum, quorum alterum ratiocinationis, alterum demonſtrationis tractationem complectitur: porrò antecedentia uolumina ad poſteriores ſubſequentesque libros cōſtituta eſſe ab* Ariſtotele, *cum ex ijs quæ a* Boëtio *in commentarijs in iſagogen* Porphyrij *ſcripta ſunt, tum ex innumeris penè ſcriptis non ſolùm* Auerrois *cæterorumque* Ariſtotelis *interpretum, ſed etiam ipſius* Ariſtotelis *facilè colligere nobis licet.* Iam *uerò quemadmodum antecedens liber ad celſius poſteriusque uolumen pertinet comparatusq́; eſt, ita antecedentis uoluminis materia ad ſubſequentis ſublimiorisque exemplaris ſupellectilem materiamque ſpectat & refertur, idque tum ex alijs* Ariſtotelis *ac plurimorū ſapientium uirorum præceptis, tum præcipuè ex ijs, quæ a philoſopho ſexto libro diuinæ ſapientiæ tradita ſunt de partitione & rerum & artium, planè intelligere nobis datur: quæ cum ita ſint, quis non uidet enuntiationem, quæ ſe ſubiecit libro de interpretatione, ad ſyllogiſmum, aut, quod potiùs arbitror, ad demonſtrationem ſpectare, atque illius gratia ab* Ariſtotele *excogitatam eſſe?* Non *igitur enuntiatio ſua eſt logicæ materia, quando neq́; omnia ad enuntiationem pertinent, quæ a logicis animaduerti conſueuerunt, neque de enuntiatione in cunctis logica*

artis uoluminibus tractatur: atqui propria cuiusque artis materia paßim diffunditur, ac ſeſe omnibus artis præce=ptis inſerit, atque in quacunque artis parte cuditur & in=formatur: multæ item proprietates, quæ partim ad ratio cinationem partim ad demonſtrationem propriè accommo dantur, in libris priorum poſteriorumq; analyticorũ exa=ratæ ſunt, quibus nihil rei cum enuntiatione eſt, quæque enuntiationi neutiquam aßignandæ ſunt. Ex ijs ſatis per=ſpicuum eſſe arbitror, enuntiationem logicæ facultati haud propriè ſubiectam eſſe. Quicum Saulius ita locutus eſt, *Agedum Zaphyre uir præſtantißime, nobis aperi, quid=nam ipſe ſubijcias logicæ facultati, remne an orationem.* Tum Zaphyrus inquit, *Id a me modò contendis, quod me facturum ſecundo loco promiſeram; uerùm eſto, ut ueritas eluceſcat, nunc demus logicam ex ijs diſciplinis eſſe, quæ in oratione poſitæ ſunt.* Ad hæc Saulius, *Rur=ſus hoc mihi expedi, an in omni genere orationis, an po=tiùs in certo quodam orationis genere logica uerſetur, quod quidem ipſa tanquam proprium agnoſcat.* Cui Zaphyrus, *Id quoque tibi concedamus, haud omnia orationum genera, ſed potiùs certum quoddam genus orationis in logica per=tractari.* Atqui, inquit Saulius, *id genus orationis, neq; comprecatio, neque aliud genus orationis, quo quidem animi concitari atque permoueri ſolent, exiſtit: quando=quidem haſce orationum ſpecies a rhetoribus aut a poë=tis cogitari oportere Ariſtoteles in libro de interpretatio=ne inquit. Quòd cum in nullo genere earum orationum poſita ſit logica, quam tamen in oratione poſitam eſſe non inficiaris, ſupereſt, ut in enuntiatione, nam reliqua tan=tummodo eſt enuntiatio, uerſetur logica facultas, idq; etiam*

Digitized by Google

 186

ex iſs, quæ abs te memorata ſunt, facilè conuincitur, Ariſtoteles uerò, ut antea dixi, id haud dubiè teſtatus eſt, cuius ſanè authoris uerba ita ut ſcripta ab ipſo ſunt, recitare conſtituimus, ut philoſophi ſententia illuſtrior cuiq; ſit, atque ex Græco libro, qui περὶ ἑρμηνείας *inſcriptus eſt, authoris uerba deſumemus.* ἀποφαντικὸς δὲ οὐ πᾶς ἀλλ' ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. οὐκ ἐν ἅπασι δὲ ὑπάρχει. οἷον ἡ εὐχὴ λόγος μὲν ἀλλ' οὔτε ἀληθὴς οὔτε ψευδής. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι ἀφείσθωσαν. ῥητορικῆς γὰρ ἢ ποιητικῆς οἰκειοτέρα ἡ σκέψις. ὁ δὲ ἀποφαντικὸς τῆς νῦν θεωρίας. *quæ philoſophi uerba ita uertimus, Sanè non omnis oratio enuntiatio eſt, uerùm ea quæ uerum falſumque ſignificat: atqui hoc haudquaquã omnes præſtant orationes, ſiquidem precatio oratio quidem eſt, non illa tamen uera aut falſa: cæteras orationes miſſas faciamus, quando in iſs rhetorica aut poëtica propriè uerſatur: cæterùm de enuntiatione in hoc tractatu agendum eſt. Tum Zaphyrus ait, Ariſtoteles quidem hoc loco inquit enuntiationem in eo opere tractari, cui titulus eſt* περὶ ἑρμηνείας, *ut eius uiri oratio te intèrprete planè indicat: neque tamen inde colligendum concludendumque eſt, uniuerſam logicam in enuntiatione tanquam in compari propria, ac primaria materia poſitam eſſe: ſiquidem non eadem totius logicæ artis ſubiectio eſt ſupellectili materiæue ſingularum eius partium, aut certæ alicuius partis; etenim liber qui* κατηγορίαι, *quas noſtri prædicamenta nuncuparunt, inſcribitur, denas uoces, quibus decem genera rerum omnium ſignificantur, tanquam propriam farraginem facultatemque continet, ut Hammonio uiſum eſt: ſed tamen decem uoces dictioneſue.*

Digitized by Google

quibus ſuprema rerum genera notantur, minimè ſunt com par propriaque totius logicæ artis materia: idem ipſum de ſubiectione ſingulæ cuiusque partis dixerim, quam quidem ipſius partis, non uniuerſæ artis propriam ſupellectilem eſſe affirmauerim: quæ cum ita ſint, conſtat etiam non eandem eſſe & libri de interpretatione, qui quidem quota portio logicæ artis eſt, atque uniuerſæ artis materiam. Itaque quæ abs te recitata ſunt Ariſtotelis uerba ex libro de interpretatione, enuntiationem libro qui περὶ ἑρμηνείας inſcriptus eſt, non uniuerſæ logicæ ſubiectã eſſe arguunt. His Saulius hoc reſponſo occurrit, At etiam ex tuis uerbis colligitur, enuntiationem non modò libri de interpretatione, ſed totius etiam logicæ artis materiam eſſe: quandoquidem ipſe logicam non in rebus, uerùm in oratione, nec uerò in omni genere orationis, ſed in eo duntaxat genere, cui enuntiatio nomen eſt, uerſari pauloante dediſti. Nec minùs etiam mihi liberum eſt uerba Ariſtotelis, quibus in hoc opere tractari enuntiationem ait, accommodare ad uniuerſam logicam, atque tibi integrum eſt ea ipſa philoſophi dicta in hunc ſenſum accipere, ut de ea parte logicæ facultatis intelligi ea uerba uelis, quæ quidem logicæ pars de interpretatione inſcripta eſt. Quòd autem ex ijs uerbis Ariſtoteles enuntiationem totius logicæ rei eſſe ſignificarit, præclarè nobis argumento ſunt quæ eam orationem antecedunt uerba, quibus indicat rhetoricæ aut poëticæ artis munus eſſe tradere præcepta comprecationis, cæterarũq; id genus orationũ, quæ motus concitationesque animorum pariunt; qua quidem oratione Ariſtoteles haud dubiè oſtendit, comprecationem non certæ alicuius partis rhetoricæ aut poëticæ artis, ſed totius

ſiue rhetoricæ ſiue poëticæ artis materiam eſſe. Hinc perſpicuè manifeſtum eſt, Ariſtotelem ea uerba quibus enuntiationem materiam huius operis eſſe affirmat, ad uniuerſum logicæ tractationis opus accommodari uoluiſſe: cum enim perinde quæ peculiaris propriaque eſt logicæ facultas ad uniuerſam logicam pertineat, ac ſua rhetoricæ materia ad totum integrumque rhetoricorum uolumen, cumque rhetorica facultas a logica diſcernatur, quòd aliud in alia diſciplina genus orationis exercetur atque pertractatur, ſiquidem quod uim concitandi animos habet orationis genus rhetorica, quod enuntiandæ atque illuſtrandæ rei uires ſortitum eſt, logica complexa eſt; fit ut quemadmodum ſuum orationis genus ad omneis rhetoricæ artis præceptiones referendum eſt iudice Ariſtotele, ita & proprium orationis genus ad omnia logicæ artis præcepta eiuſdem philoſophi iudicio referri debeat. Tum Philippus Binaſcus qui quemadmodum oculorũ lumine captus, ita mentis acie, atque ingenij acumine præditus erat, inquit, Rem de qua quidẽ decertant inter ſe ſapientes uiri, quæq; adhuc nobis incerta eſt, ita Sauli pronuncias, ac ſi comperta ac in confeſſo omnibus eſſet: ut enim conuincas enuntiationem uniuerſæ logicæ tanquam æquabilẽ propriamq; materiam ſubiectam eſſe, hac ſimilitudine propoſitum tuum confirmare eniteris, quemadmodũ rhetorum facultas in eo genere orationis, quo animi motus cieri poſſunt, tanquam in propria materia uerſatur, ſimiliter logica, quæ a rhetorica hoc tantùm diſcernitur, quòd hæc enuntiationem continet, illa eam orationem, quæ mouendi uim habet, eam ipſam enuntiationem propriè aſciſcit, ac ſibi ſubiectionem hanc tantum uendicat: quibus uerbis id ora-

tionis genus, quo animorum motus excitantur, ſuam eſſe rhetoricæ artis facultatem ſignificas, ac ſi omnibus id pro comperto eſſet, nullaque de hac re foret controuerſia, cum tamen nulla quæſtio magis ambiguos homines habeat, quàm hæc ipſa de rhetoricæ artis facultate altercatio ac diſſenſio: quòd ſi nondū etiam conuenit de rhetoricæ facultate inter hoſce Academicos uiros, nam nondū habitus eſt de ea re ſermo, quid illā perinde aſſumis, ac ſi ea nemini non perſpicua manifeſtaque foret? Item ſi adhuc incerta dubiaque nobis eſt materia huius artis, ut certè incerta dubiaque eſt, quemadmodum ipſe hoc argumento probas enuntiationem uniuerſæ logicæ ſubiectam eſſe, quòd alterum orationis genus idoneum commouendis animis ſe uniuerſæ rhetoricæ ſubijcit; nos contrà inſtabimus hanc excitantem animorum orationem haudquaquam eſſe materiam rhetorum diſciplinæ, eò quòd enuntiatio nequaquam uniuerſæ logicæ materia ſubiectioque eſt. Præterea ex uerbis quæ ipſe ex primo libro de interpretatione Ariſtotelis deſumpta Latina feciſti, haud profectò colligitur, precationem cæterasq; cientes animorum orationes uniuerſam eſſe rhetoricæ aut poëticæ artis materiam: quamuis enim rhetorum aut poëtarum munus eſſe de orationibus id genus diſſerere Ariſtoteles ait, haud tamen de ijs rebus tantummodo eos loqui oportere memorauit, ueluti ſiquis dixerit, fabri officium eſſe ſeras clauesq; cudere atque perpolire, is uerum quidem protulerit, neque tamen iccirco affirmandum eſt, fabrum in excudendis limandisq; ſeris clauibusque duntaxat occupari oportere: quando & malleos & clauos conficere, ac deniq; ex ferrea maſſa quoduis ferreum inſtrumentum efficere atque architectari fabrorum eſt. At Ra-

nerius admirari ſe inquit Binaſchi acutiſsimi uiri ingenium, qui quidem perbelle elegantiſsimeque rhetoricam poëticamque orationem cum fabrilibus operibus comparaſſet: nam non ſecus oratores poëtæque hominum animos uerſant, atque fabri metalla tractare uarieque afformare ſolent: ſed tamen haud omnino probari ſibi Binaſchi ſententiam inquit; nam cum propoſitum eſſet Binaſco diluere Saulij rationem, qui rhetores in eo genere orationis tantùm uerſari tradidit, quæ quidem orationes animos hominum commouere atque accendere ſolent, fabrorum, uel potiùs fabrilium machinarum exemplo, Saulij argumentum confutare tentarit: nec uerò congruam eam ſimilitudinem, quæ a Binaſco adducta eſt, uideri ſibi inquit; ſiquidē fabri, cæterique artifices, qui ſeruilia munera tractant, in multiplici eaque uaria ac diuerſorum generum materia diſtineri debent: ueluti architecti in omni genere materiæ uerſantur, quod quidem genus ad architectandum opera, atque ad conſtruenda ædificia neceſſariò pertinet: porrò ædes non ſolùm ex lapidea, uerumetiam ex lignea æneaque materia cohærent, nec neſcire eos hanc ipſam ædium materiam conuenit: idem de compluribus alijs artificibus affirmare ſe poſſe memorauit. Iam uerò eos, qui ingenuas artes colunt atque pertractant, haud plura exercere materiæ ac facultatis genera, quàm artes debere, ſiquidem ſingularis ſuaque unicuique arti tributa facultas eſt. Quòd ſi Binaſcus multiplicem rhetoricæ facultati farraginem aſsignat ſuppeditatque, idque alterius artis exemplo ac ſimilitudine oſtendere decreuit, hoc aliqua liberali ſcientia, non fabrili munere probare ipſum decuiſſe; aliamque liberalem artem in medium adducere

debuiſſe, cui multiplex uariaque materia ſubiecta ſit, atq; inſtar eius artis rhetorum facultatem haud unica ſubiectio ne contentam, docendum illi fuiſſe aſſeueranit. Cui Binaſcus *primò gratias egit quòd ab illo cõmendatus eſſet, deinde ſe rhetorum materiam ideo cum fabrili maſſa & & congerie contuliſſe ait, quòd e cæteris artificijs fabrilis ars ipſi tum in mentem ueniſſet, quæ non pauca moliatur atque informet inſtrumenta, atq; eo libentiùs ſe uſum eſſe hac collatione, quòd hac ratione ſe manifeſtiùs ſui animi ſententiam declaraturum, idque quod ipſe agitabat animo clariùs palàm facturum intelligebat: ſiquidem nemo eſt, quin fabros plura machinari inſtrumenta certò ſciat: cæterum ſi rei rhetoricæ facultatem cum materia alicuius ingenuæ artis compoſuiſſet, fortè obſcuriorem tectioremque eam ipſam rhetoricæ artis materiam reddidiſſet atque offuſcaſſet, quàm euocare e tenebris, atque in propatulo hominibus ponere conſtituiſſet: ſiquidem perinde hominibus in obſcuro eſſet materia alterus illiberalis artis, cui rem rhetoricã comparaßet, atque materia rhetoricæ facultatis: nihilominus tamen, ut* Ranerio *gratificaretur, grammaticæ artis materiã quandam explicare uelle ſe inquit, eamque cum eo rhetoricæ orationis genere componere decreuiſſe, de quo quidem genere Saulius uerba feciſſet.* Grammatica*, inquit, in eo genere orationis, quod actiuum, quod item paßiuum, ac neutrum ipſi nuncuparunt, propriè uerſatur; neque tamen orationes huius generis comparem atque æquabilẽ huic arti materiã cenſeri oportet: non enim omnem grãmaticæ facultatis areã implent huiuſmodi orationes; etenim plura inſuper orationum genera tractari a grammaticis conſueuere: nam*

communia

communia, deponentia, comparatiua, ſuperlatiua, aliaq́; orationum genera a grammaticis perpendi atque excogitari ait: itaq; ſibi hoc conſectariũ nequaquam probari me mouit, Grammaticis ſubiecta ſunt actiua, paßiua, ac neutra genera uerborum aut orationum; igitur grammatica nullam, exceptis his orationibus, ſibi materiam aſſerit. Simili modo ego Saulio dixerim inquit, id orationis genus, quod ad incitandos, ac quouis impellendos animos accommodatum aptumq; eſt, rhetorum diſciplina, aut poëtica facultas proprio iure ſibi uendicat; igitur in hoc genere orationis hæ artes tantummodo poſitæ ſunt: quid enim prohibet, quominus hæ artes enunciationem ſimul contineant, ſine qua nihil concludi aut probari poßit? cum tamen poëtæ atque oratores concludere, propoſitumq; firmare, haud ſecus atque logici, contendant. Rectè inquis, ait Zaphyrus; nam Ariſtoteles primo libro poſteriorum analyticorum tradidit, oratores quoque fidem facere, qui id quod animo retractant, iudicibus perſuadere conantur, aut exemplis, quæ inductiones, aut enthymematibus, quæ ſyllogiſmi exiſtunt: cæterum enthymemata ſiue ſyllogismi ex enuntiationibus conſtant; igitur & rhetores enuntiationem uſurpent nouerintque neceſſe eſt. Idem primo libro rhetoricorum ad Theodecten, eos qui de arte diſſerendi, ac de re rhetorica antea conſcripſerunt ſuggillat atque accuſat, quod uix particulam quandã artis excogitarunt atque euulgarunt; id uerò quod ſuum propriumque artis eſt ne attigerunt quidem: cum enim, inquit, fidem facere artificioſum tantummodo ſit, cætera uerò tanquam aduentitia peregrinaque arti accedant, antiquiores uiri de enthymematibus, quæ perſuaſionis nerui

ab ipſo uocantur, nihil locuti ſunt: ea uerò quæ præter rē ſunt, quæ ſcilicet ad commouendos animos non mediocrem uim habent, prolixiori oratione proſecuti ſunt: ex quibus philoſophi uerbis planè colligitur, rhetoras magis in enthymematis atq; in enunciatione, quàm in eo orationis genere quod ciet animos, uerſari; ut magis enunciatio quàm comprecatio, cæteræque concitantes animorum orationes rhetorum diſciplinæ ſubdere ſe uideantur, ſi Ariſtotelem audiamus, quem præter cæteros ſcriptores Saulius audiendum meritò exiſtimat, cuiusque authoritate æquè ac firmiſſima ratione ſuam uallat ac communit ſententiam. Non deſunt alia eiusdem ſapientiſſimi philoſophi ſcripta, quibus rhetoribus, alia quibus poëtis enunciationem frequenti in uſu eſſe teſtatus eſt. Saulius haud quidem inficiatus eſt, enunciationem etiam ab oratoribus poëtisq; adhiberi ſolere; neque tamen iccirco cum Zaphyro ac cum Binaſco ſentire ſe ait, qui hanc ob cauſam enunciationem rhetorum diſciplinæ ueluti materiam ſubiectam eſſe ſtatuunt, quòd ea ab ijs in proprium uſum adhibeatur: nihil enim obſtare inquit, quominus enunciatio, quæ a logicis tanquam res & facultas propria exercetur, proprijsq; ueſtitur atq; ornatur indumentis ſiue formis, etiā ab alijs aliarū artium ſcriptoribus uſurpetur, quemadmodū ſeræ maleique, qui a fabris excoquuntur atq; informantur, a multis alijs fabrilis artis ignaris adhiberi ſolent. Huc accedit, quòd Ariſtoteles inquit, De enunciatione in hoc opere cogitandum eſt: cæteræ orationis ſpecies, quibus præſertim cietur animorū appetitus, a rhetoribus aut poëtis ſpectandæ ſunt. Quinetiam enunciationum ſpecies diſcriminaque ab Ariſtotele in libris de arte logica tradita ſunt, non item in li-

bris rhetoricorum aut de arte poëtica. Haud equidem negauerim, inquit Zaphyrus, enunciationum genera diſcriminaque in libro de interprætatione pertractari atq; enumerari, ob idque enunciationẽ huic libro ſubeſſe. Illud equidem haud affirmauerim, enunciationẽ totius artis ſupellectilem materiamq; eſſe; idq; etiam ex ijs quæ abs te nuper memorata ſunt perſpicuè patet: etenim ideo enunciationẽ logicæ arti ſubiectam eſſe refers, quòd in libris de logica facultate enunciationũ genera diuerſitatesque conſcriptæ ſunt. Hac equidem ratione coniicero, enunciationem eius libri, cui titulus eſt de interpretatione, non uniuerſæ artis ſubiectionem eſſe: quandoquidem hæ ipſæ, ſiue formæ, ſiue ſpecies enunciationum, earumq; diſcrimina, in libro de interpretatione tantùm, non item cæteris in libris logicæ facultatis perpenduntur atq; excogitantur: quapropter ipſe longè alius a te ſum, atque non enunciationem, quæ in certa quadam particula logicæ animaduertitur, non ſyllogiſmum, qui in alia logicæ artis parte tractatur, non item demonſtrationem, de qua agitur in alia parte logices, uniuerſæ artis materiam ſubiectionemque eſſe exiſtimo: ſiquidem ſingulæ hæ facultates ſingulas artis partes attingunt, non uniuerſam artem ſiue ſcientiam. Quare ea mihi totius artis materia eſſe conſpicitur, quæ compar æquabiliſque uniuerſæ facultati eſt, atq; ſe cõmunem cunctis partibus logicæ artis præbet: nam de hac ipſa re quæ ſubiecta eſt uniuerſæ arti, ſermonem habemus, de qua quidem materia logicæ rei me ſecundo loco uerba facturum eſſe pollicitus ſum, ubi. s. tuæ ſententiæ, Sauli optime, refragatus eſſem. Cum itaque mecum etiã atque etiam excogitauerim, quænam ſubiecta res ſit huic diſciplinæ, quæ paßim

uagaretur, atque cunctas in partes operis ſe diffunderet, atque cum ſingulis artis præceptis communicaretur; nihil præter idipſum quod eſt comperij, de quo in uniuerſo opere, atque in quibuscunque operis partibus agatur: nam quemadmodum uniuerſa facultas communis eſt omnium partium ipſius facultatis, ſimili modo materia uniuerſæ artis ſe communem exhibet unicuique rei ſiue facultati, quæ ſingulo tractatui operis ſubijcitur; id quod ex ſexto libro diuinæ ſapientiæ Ariſtotelis facilè colligere poſſumus, quo quidem in loco philoſophus ita diſtribuit diremitq; facultates ac diſciplinas, quemadmodum quæ eis ſubiectæ res ſunt diſciplinis diſtributæ diſtinctæque inter ſe ſunt, ut ſingulis facultatibus ſingulas res aſcribat ſubijciatq;. Id tamen faciliùs planiùsque nobis, & ſingula quæ ipſe edidit opera atque uolumina, partesque operum aperiunt, quam quidem rem, utpote ſatis perſpicuam, atque uel ex titulis cuiuſuis operis, uel ex initio & totius operis & ſingularum eius partium, ſatis cuique patefactam illuſtratamque prætermittere decreui. Cæterum cum certæ quædam partes eius quod eſt, certis partibus logicæ facultatis ſubiectæ ſint, quibus nihil niſi id quod eſt re uera commune eſſe uideam, cenſeo equidem logicam facultatẽ in eo quod eſt tanquam in propria materia uerſari, eius uerò quod eſt certas partes quibusdã partibus logicæ obtigiſſe, ac ueluti iure hæreditario obueniſſe. Hac præterea ratione in hanc deductus ſum ſententiã, quòd cum Ariſtoteles primo libro phyſicorum negat ab ulla arte aut ſcientia probari & confirmari debere primordia incunabulaque propria, quibus quæ in arte traduntur, adhæreſcunt atque annituntur; ſed communioris atque eius quæ

cunctas amplexatur facultates ſcientiæ ſiue ſapientiæ munus eſſe inquit principia uniuſcuiusq; artis firmiora rataq; efficere, Auerroës *ait, communioris ſcientiæ nomine ſignificari uel metaphyſicam uel logicam facultatem: ex quibus uerbis* Auerrois *colligimus, haud aliter logicam, atque metaphyſicam poſitam eſſe in ſummo genere rerũ, hoc eſt in eo ipſo quod eſt*. M. Antonius Maioragius *huic reclamauit, atque uide, inquit*, Zaphyre, *ne dum* Saulij *ſententiam confutare contendis, negasque enunciationem propriè ſubdere ſe logicæ facultati, eam ipſam feras ſententiam, quæ magis irrita caſſaque ſit, quæque longiùs a ueritate diſceſſerit: etſi enim enunciatio haud exæquat uniuerſam artem, ſeque omnibus artis præceptis intermiſcet inſtar propriæ materiæ, quæ omnes omnium partium formas ſubijt; pars tamen uniuerſæ materiæ uel non diſſentiente te perhibetur; ſiquidem facultas eius logicæ partis habetur, quæ de interpretatione inſcripta eſt; at hæc ipſa res, quam tute uniuerſæ logicæ ſubiecisti, ſcilicet idipſum quod eſt, neque totius artis materies mea quidem opinione exiſtit, neque ad ullam ipſius artis particulam appoſitè idoneèque accommodari atque aptari poteſt. Cum enim non in rebus, ſed aut in oratione, ut Saulius tradidit, aut in ijs quarum ipſe animus eſt author caputque cogitationum, logica poſita ſit, ut pleriſque eruditioribus uiris placuit; efficitur, ut id quod eſt, non ſolùm non ſua & compar materia ſit logicæ diſciplinæ, uerumetiam ualde diſsimile diſſentaneumque ſit ſubiectioni logicæ artis, utpote quod maximo interuallo ab ea disiunctum eſt, quodque ſummo rerum genere ab ea diſcrepat.* Nec uerò Auerrois *oratione, quà ipſe potiſsi-*

mum fretus es, qua quidem is dialecticam pariter et metaphyſicam probantem eſſe primordiorum uniuſcuiusque ſcientiæ & facultatis docet, concluditur id quod eſt ſe ſubijcere logicæ arti, quemadmodum metaphyſicæ ſapientiæ ſubijcitur, ut ipſe ſentis. Si enim ita res eſſet ut inquis, eadem eſſet materia & logicæ artis & metaphyſicæ; quòd ſi communis utriusque harum facultatum materies eſt id quod eſt, qui propriam comparemque logicæ arti materiam idipſum eſſe memoras? Sed potiùs ab ijs, quibus propria principia ſubruuntur, atque ab imis radicibus euelluntur, confugiendum ad metaphyſicam inquit Auerroës, *tanquam ad regiam ac diuinam ſapientiam, quæ ſinu ſuo claudit fouetque principia rerum omnium, utpote quæ id quod eſt gremio ſuo capit.* Eosdem etiam *a dialecticis opem implorare debere idem fidus* Ariſto*telis interpres refert, non quòd materia logicæ diſciplinæ ſe communem cunctis facultatibus præſtet, ſed quia eius artis præcepta ad quamcunquæ artem accommodari poſſunt, aut quia quædam ſententiæ in ea facultate traditæ ſunt, quæ ad quamque facultatem accommodantur; aut quoniam in eadem arte expoſita ratio eſt, qua propoſiti noſtri rationem in quibuscunq; problematibus confirmare nobis integrum eſt, id quod philoſophus initio primi libri topicorum luce clarius oſtendit. Cum Maioragio ita egit* Zaphyrus, *Si quiſquam alius, te uno excepto,* M. An*toni, noſtræ ſententiæ reluctatus eſſet, nulla equidem afficerer admiratione; nunc uerò non poſſum non uehementer admirari, atque adeo obſtupeſcere, te mihi in hac re aduerſarium eſſe, qui tanti rem rhetoricam facis, ut eam cæteris facultatibus anteferendam et exiſtimes & uulgo di-*

ſtites, cæterũ in præſentia ea proferas, quibus non ſolùm non antecellere diſſerendi artem cæteris facultatibus planè cõmonſtres, uerumetiam pluribus artibus, atque adeo omnibus quæ de rebus ſunt, facultatibus multo indigniorem eſſe tute confitearis. Cui Maioragius, quorſum hæc? aut quonammodo ego, dum a te diſſentio, hanc nebulam rhetoricæ facultati offundo? atq; ita eam deturpo ac commaculo, ut ex præſtantiſſima omnium artium maximè omniũ indignam, abiectã, atq; contemnendã efficiam? compluribusq; ac penè omnibus facultatibus eandẽ cedere cogã? Quicum Zaphyrus ita locutus eſt, Quanti logicam facultatem æſtimas, tantum te tribuere rhetorum diſciplinæ neceſſe eſt; quandoquidem utraque facultas in iiſdem rebus poſita eſt authore Ariſtotele: atqui nihil ipſe ſubiicis logicæ arti, eo fit, ut etiam rhetoricam inanem inſtar logicæ efficias, ut pote quæ nulla in re certa uerſatur: nanque Ariſtoteles dignitatẽ diſciplinarum dignitate ſubiectæ rei præcipuè metitur, id quod facilè teſtantur cũ multa eius præcepta, tum præſertim quæ in præfatione libri de diuina ſapientia, et initio primi libri de anima ab eodem philoſopho tradita ſunt: ex quibus Ariſtotelis uerbis cõcludere nobis licet, eas facultates, quæ in ſummiſſioribus ſitæ ſunt rebus, minùs dignitatis ſortitas eſſe; quæ uerò in eo quod re ipſa nõ eſt, ſiue id ſibi animus confinxerit, ſiue nondũ excogitatũ ſit, uerſantur facultates, ne teruncij quidem faciendas eſſe, ut quæ quod minimè eſt, quod perinde eſt ac ſi nihil eſſe dixerim, complectuntur, quod genus eſſe logicã artem tute ultro fateris, ex quo quidem genere cũ rhetorum artẽ eſſe diffiteri nequeas, fit, ut uelis nolis rhetoricã facultatẽ uilem ac floccipendendã ipſe concedas. Rauerta, qui

non ignorabat Maiorãgiũ iam ſe accingentẽ et parantẽ ad dicendũ, potiùs diſputaturũ de nobilitate et præſtantia rhetoricæ artis, quàm de re propoſita, atq; iccirco ſermonẽ longiùs quàm æquum erat extractum iri; ita cũ Zaphyro egit, Tuæ partes ſunt Zaphyre refellere Maiorãgij argumenta, quibus ipſe logicos non in eo quod eſt, ſed potiùs uel in oratione uel in cogitationibus animi diſtrictos occupatosque eſſe docuit, ac ſimul firmioribus rationibus, ſi id tamen præſtare potes, probare logicam ſibi id quod eſt propriè aſciſcere & uendicare, quod quidem te aut difficilè admodum, aut nullo modo conſecuturum eſſe ſuſpicor. Nec uerò opus eſt, ut dum tuam acriùs uiriliùsque defendere ſententiam contendis, aliam pugnam indicas aduerſario, longèque alia de re, hoc eſt, de dignitate oratoriæ artis, quæ res in controuerſia non eſt, diſceptare ſtudeas. Nunc ad te M. Antoni redeo. Cedo, quam rem logicæ facultati ſubiectam eſſe putas? neq; enim ſolùm te aliorum rationem confutare, ſed etiam quid ipſe ſentias explicare, tuique animi ſententiam confirmare ratione oportet. Tum Maioragius, planiùs, inquit, uideo quid errent alij, qui de bonis artibus uerba faciunt, quàm uerum ipſe perſpicio: quare mihi minùs difficile eſt diluere aliorum opinionem de materia logicæ, præſertim quæ diſſona diſſentaneaque ueritati ſit, quàm tutam ueramque de hac re ferre ſententiam. Ac libet mihi hoc loco quæ Ariſtoteles in libro ethicorum de difficultate inueſtigandæ & introſpiciendæ uirtutis retulit ad noſtrum inſtitutum, hoc eſt, ad difficilem latentemque ueri perſpicientiam accommodare. Longè procliuiùs faciliùsque, inquit philoſophus, uitia, ut quæ latiſſimam aream occupent; deprehendere poſſu-

183

mus, quàm uirtutem animo peruidere, quæ uitijs innumeris, ijsque longè latèque patentibus undique ſepta eſt, atque intra breuiſsimum ſeptum eſt concluſa; quemadmodum quiuis promptiùs ac minori negotio quamcunque circuli partẽ, quæ intra ipſius gyri peripheriam coërcetur, conſpicere, quàm centrũ intueri poteſt: quod Ariſtoteles *ijs qui uirtutẽ difficilè aſſequi ualent, uſuuenire inquit, idẽ mihi uerum, quod quidẽ mendacijs erroribusq; undiq; circumuentum ſtipatumq; eſt, exquirenti, ſæpiſsimè accidit: faciliùs nanq; aliorũ errata intueri, quàm uerum oculatẽ perſpicere ſoleo: ac ueluti qui citra ultraq; ſolent conſiſtere rectum, eos accuſant, utpote a uera ratione uirtuteq; abductos, qui uel uirtutẽ ſequuntur, uel ea peccata perpetrant, a quibus ipſi abſtinent atq; abhorrent; conſimili ratiõe ego, qui forte uerum nondum aſſecutus ſum, præſertim in hac facultate, eos fortaſſe qui uerum clariùs perſpiciunt, aut alios qui iniquiùs me peccant, redarguere conſueui, non tamen eo animo, ut in eos inuehar, ſed potiùs ut ueritas pateſiat & illuſtretur, quæ, ut* Ariſtoteles *in tertio libro diuinæ ſapientiæ ſcripſit, ſeſe oſtendit ijs, qui priùs eam altercando diſceptandoq; conquiſiuerunt; ſiquidem ij dum addubitant, ueritatẽ omnibus impedimentis ac uinculis diſſoluere atq; extricare pergunt, itaq; eam ipſam tum demũ e tenebris eruunt atq; promunt in lucem.* At Ferdinandus Abduenſis, *qui ut ſtudioſum candidatumque diſcipulum decet,* Maioragium *præceptorem ſuum non uulgari amore atque obſeruantia ſemper proſecutus eſt, ego, inquit, iterum ac ſæpius abs te accepi prudentes ac frugi uiros conſimiles hominibus eſſe qui rectè ualent; contrà, ignaros ac prauis moribus imbutos mortales cum his meritò*

conferri poſſe, qui male ſe habent, atq; aliqua ægrotatione affecti ſunt, adeo ut perſpicientiam ueri ac morū probitatē ſanitatem animi, ſicuti optimā membrorum ualetudinem roburq; corporis incolumitatem uocare conſueueris, nec minùs ignorationem atq; turpitudinē morum, animi ægritudinē, ueluti uitiū, imbecillitatemq; membrorum, corporis ægrotationem nuncupare ſolitus ſis. Atq; hanc ſententiam te partim ex Tuſculanis quæſtionibus M. T. C. partim ex libris de moribus alijsq; ex ſcriptis Ariſtotelis & Platonis excerpſiſſe affirmabas, addebasq;, quemadmodum hi, quibus bene eſt, quibusq; & corpus optimè conſtitutum, & uegetiores ſynceriores q; ſenſus ſunt, quæ iucunda atq; conducibilia uitæ accidunt, et commodè percipere, & ab ijs quæ moleſta pernicioſaq; corpori ſunt diſtinguere ac ſecernere ualent, uerſa uice, qui prauè affecti ſunt, quæ dulcia, inamareſcentia & ſentiunt & iudicant, quæ ſalubria frugaliaq; eis ſunt, & moleſta eſſe dijudicant, & ueluti uenena abijciunt; ſimili modo, qui rectè moribus inſtructi, quiq; cordati ac mentis compotes ſunt, uirtutem probitatemque illi, hi ueritatē perſpectam habent, alteriq; ſimul uitia improbitatemq;, alteri mendaciū erroresq; norunt, et a uerò rectoq; diſcernere ualent: contrà, uiri male morati atq; inſcij, illi turpitudinē honeſtati anteferendā putant, hi uerò quæ incerta atq; adeo falſa ſunt et uera eſſe autumant, et ueritate potiora, & minùs incerta eſſe arbitrantur. Quæ cum ita ſe habeant, cumq; is tantùm qui uerū animo cernit, quæ quis peccat, quid offendat, quantumq; erroris in ſe admittat, intueri poßit; cumq; tibi aliorū peccata erroresq; patere tute fatearis, ex ijs conuincitur, te et uerū dignoſcere, et ipſum a mendacio dirimere, nosq; edo-

cere poſſe. Quamobrem aut quid de materia logicæ facultatis ipſe ſentias ede, ac uerã pronuntia ſententiã, aut ne dixeris, te quidẽ noſce quid peccent alij, haud tamen tibi uerũ perſpicuũ eſſe, ne pugnantia dicere uidearis: ſed tamen quia te tibi ſemper conſtare ſenſi, ſæpiusq; de dialecticis rebus accurratè differentẽ audij, pro comperto habeo te ſimul et uerũ intueri, et aliorũ uel fallacias uel errores acutiùs inſpicere. Proinde iam agè ad præſcriptũ, quodq; Rauerta uir, ut cæteris in rebus, ita hac in re prudentiſſimus tibi præcipit, exequere, ac tuam de materia logicæ artis ſententiã pronuntia, quã et certam ueramq; eſſe, & omnibus Academicis periucundã fore certò ſcio. Maioragius, qui nõ minùs cupidus dicendi atq; teſtificandi ſenſum animi ſui, quàm Abduenſis audiendi Maioragij auidus erat, ita effatus eſt, Sic habeto Ferdinande, uir et doctiſſime, et noſtri amantiſſime, eos, quibus ueritas illuſtrata patefactaq; eſt, ſimul internoſcere mendacia atq; errata, quæ uerũ ipſum impedire atq; obnubere apparent: nihil tamen impedimento eſſe, quominus alij, quibus ueritas in obſcuro atq; in occulto eſt, etiam aliena peccata & dignoſcere et dijudicare poſſint, e quibus me unum eſſe non negauerim. Verùm ut & tuæ, & aliorũ uoluntati morẽ geram, quæ ſit noſtri animi ſententia, quamq; ipſe logicæ arti ſubiectã facultatem eſſe opiner, paucis expediam, quæ quidẽ noſtri animi ſententia aut opinio ſi minùs uera fuerit, tamen aliquã inueſtigandæ ueritatis huic præclariſſimo ordini fortaſſe afferet occaſionem. Mihi quidẽ, ut quæ mea eſt opinio liberiùs aperiã, neq; idem quod Saulio placitũ eſt, uidetur, enunciationẽ ſcilicet ſuam, paremq; materiã logicæ facultatis eſſe: propterea quòd non uniuerſæ logicæ, ſed potiùs

cuiusdã particulæ eius artis, quæ de interpretatiõe inſcripta eſt, materies enunciatio eſſe apparet. Neque Zaphyri *ſententia admittitur, qua quidẽ in eo quod eſt, ut in propria ſupellectile, logicam uerſari is ſtatuit; quoniam logica ex ijs facultatibus eſt, quæ in cogitationibus animi non in rebus uerſantur, adeo ut eæ ipſæ quæ animo obuerſantur, ſiue cogitationes, ſiue perceptiones, quas conceptus ſiue conceptiones nuncuparunt, meo quidem iudicio ſeſe propriè ac uerè ſubdiderint facultati diſſerendi.* Antonius *Magius egregia iuuenis indole, atqui ego, inquit, cogitabam, te quiduis aliud dicturum, atque aliam adiudicaturũ materiam logicæ diſciplinæ. Illud nunc a te peto, an hæc noſtri animi cogitatio ſit res ſubiecta logicæ facultati, necne: item, plærique homines cogitant quemadmodum ditari poßint, alij de uictoria, alij de honore, alij de uoluptatibus, alij de ſanitate, alij alijs de rebus quæ ad ipſum quod eſt referuntur, quæ res haudquaquam ſubijciendæ ſunt huic facultati: ſi te authorem ſequimur, num huiuſcemodi cogitationes materiã logicæ artis eſſe putas?* Maioragius, *duo ſunt cogitationum perceptionumque genera, inquit, quemadmodum res duum generum exiſtunt: nam ut de rebus primum agamus, quædam res extant uel etiam conficiuntur aut a natura aut ab hominibus, quæ quidem, penè omnes ſenſibus ſubijciuntur, quarundam uerò rerum author animus eſt, quibus ne materiam quidem natura tribuit: ſimili modo cogitationes bipartitò diſtribuendæ ſunt, aliæ nanque de naturalibus & artificioſis rebus, quæ ut plurimum ſenſibus obuerſantur, cogitationes ſunt, quæ quidem minimè ſe ſubijciunt logicæ arti, quemadmodũ neq; res ipſæ eiuſcemodi cogitationibus conceptionibusue ex-*

poſitæ; aliæ uerò comprehenſiones cogitationesue de iis rebus ſunt, quas in ſecunda claſſe collocauimus: quas uerò ipſe memoraſti comprehenſiones, ſuperioris generis exiſtunt, quas quidem logicæ nequaquam ſubiectas eſſe narrauimus. Itaque earum rerum perceptiones, ſiue conceptiones malumus eas appellare, quas res ſibi confinxit, commentusque eſt animus, quarumque rerum materiam ſibi idem ipſe animus architectatus eſt, logicæ facultatis farraginem materiamque eſſe cenſemus. Maioragium de ſententia ſignificationeque orationis ab ipſo nuper expoſitæ Io. Marianus humaniſſimè percontatus eſt, quæque eæ res ſint, quarum materiam animus parit atque exædificat, rogauit. Huic a Maioragio breuiter reſponſum eſt. Ex rebus aliæ prorſus naturales perhibentur, quibus formam natura rerum præcipuè indidit, quarum quidem materia non ſolum a natura eſt, uerumetiam natura ab Ariſtotele ſecundo libro phyſicorum uocata eſt, cuiusmodi res ſunt, ueluti elementa, lapides, metalla rudia & impolita, animantia, atque cunctæ res, & quæ anima calent, & quæ inanimes ſunt & uiſuntur, quibus artificem manum homines nondum admouerint, quæq; propria atq; ingenita ui aguntur commouenturque. Aliæ uerò res artificioſæ nomine cenſentur, quæ quidem cum natura conſtent, atque ab ea ipſa rerum parente natura ſubiectam rem naturalemque formam mutuatæ ſint, tamen artificum ingenio & manu dolatæ, informatæ, atque perpolitæ ſunt, quod genus ſunt ſtatuæ ex ære, marmore, aliaue materia item uaſa, ædificia, arma, cæteraque inſtrumenta, quæ homines artificio machinati ſunt, quæ iccirco artificioſæ res nuncupantur, quòd formam in eis ars cæla-

rit & inſculpſerit, quemadmodum naturales res appellantur, quibus forma, utpote præcipua præſtantiſsimaq; pars a natura eſt. Eſt tertiũ genus rerũ; quarum quidẽ non formæ tantùm, uerùm et materiæ efficiens authorq; animus eſt, cuius claſsis ſunt, genus, ſpecies, nomen, uerbum, oratio, enunciatio, ratiocinatio, demonſtratio, cæteraq; dictiones, quæ logicis frequenti in uſu ſunt, quibus ne materiam quidem natura ſuggeßit: quid enim in rebus a natura comparatis inuenire eſt, quod uel genus, uel ſpecies, uel nomen, uel uerbũ, uel oratio, uel ſyllogismus exiſtat aut nuncupetur? Id quidem tertium genus rerum, mea quidẽ ſententia, ſubeſt logicæ facultati, ob eamque rem logicam a græcis appellatam eam artem eſſe opinor, quòd in rebus ratione animoq; excogitatis uerſatur: itaq; hæc materia logicæ rei longè diſcrepat a phyſicæ, metaphyſicæ, & mathematicæ ſcientiæ facultate; ſiquidem his diſciplinis res naturæ ſubiectæ ſunt, logicæ animi inuentio, ſiue cogitatio, compræhenſioue ſubſidet. Ex ijs patet a Saulio particulam logicæ facultatis non totam facultatẽ materiamue traditam eſſe; ſiquidem enunciatio certa quædam inuentio cogitatioque animi eſt, haud tamen uniuerſa comprehenſio conceptioue eſt, quam huic arti ſubijcimus. Nec minùs perſpicuum eſt id quod re uera eſt, quod Zaphyrus logicæ ſuppoſuit, maximo interuallo dißidere atque diſtineri a ſubiectione logicæ artis. Tum Franciſcus Caſtilioneus arbitratus utrunque, & Saulium & Zaphyrum defendenda propria ſententia diem conſumpturum eſſe, itaq; nullam ſibi fortè oblatum iri ea die occaſionem dicendi, quam tum nactus eſt occaſionem ſtatim arripuit: quare uix dicendi finem fecerat Maioragius, cum Caſtilioneus ita orſus eſt,

Equidem non ut tecum decertarē atque diſceptare inſtitue rim M. Antoni, quem pluris æxtimo quàm ullum hominē præterea, ſed potiùs ut planiùs perſpiciam ſententiam animi tui, hæc a te petere in animum induxi. Cum grammatica, rhetorica, & poëtica facultas haud aliter atque logica in inuentionibus comprehenſionibusque animi poſitæ ſint, quare omnes animi partus cogitationesque logicæ rei aßignas? quid cauſæ eſt, quamobrem, cum perinde grammatica atq; logica nomen, uerbū, dictionem, ac orationem definiant atque amplectantur, non grammatica instar logicæ nomen, uerbum, dictionem, & orationem ſibi iure ſuo uendicet? atque ut propriam materiam agnoſcat? Cur item rhetores & poëtæ, qui more dialecticorū in oratione ac partibus orationis diſtinentur immoranturque, non itidem in morem dialecticorum orationem atque partes orationis ſibi ut propriam materiam aſſumunt? ac, ut uno uerbo dixerim, quare quod commune eſt plurium artium unicæ facultati tribuis? aliasque artes, præſertim rhetoricam, quam ipſe præcipuè profiteris, ſua materia, atque proprijs diuitijs defraudas? Huc accedit, quòd cum logici ſibi propoſuerint regulam rationemque inueſtigandi ueri componere, quod quidem uerum pariter & mendacium in oratione, non in dictione, aut nomine, aut uerbo poſitum eſt, ut Ariſtoteles tum in libro categoriarum, tum in libro peribermenias retulit, non dictionem, aut nomen, uerbumue, ſed orationem potius eam, qua uerum, quaque quod uanum falſumque eſt ſignificatur, logicis propoſitam eſſe cenſendum eſt: quo fit, ut non uniuerſæ cogitationes comprehenſionesue animi ſua logicæ artis materia ſint: quando neque nomen, neque

uerbum, neq; dictio ſubeſt logicæ facultati. Cum Caſti-lioneo ita Maioragius egit, Quando ipſe librum de inter-pretatione Ariſtotelis confirmandæ tuæ rationis cauſa ci-taſti, dic amabò, an non animaduertiſti initio eius libri de-finitum eſſe nomen ab Ariſtotele? Cui Caſtilioneus quidni? inquit. Tum Maioragius; quorſum, quemque ad finem traditam eſſe a philoſopho nominis ac uerbi definitionem eſſe arbitraris? ſi nomen uerbumque ad logicam artem ni-hil attinet. Atqui, inquit Caſtilioneus, non equidem ne-gauerim, neque negaſſe me arbitror, nominis, uerbique, atque dictionis notitiam etiam attingere logicam faculta-tem: nam qui orationem noſce poſſent, qui dialecticam profitentur, ſi nomen & uerbum, ex quibus conſtruitur oratio, minimè intelligerent? Illud equidem minimè pro-baui, nomen, ac uerbum, dictionemue ſuam eſſe logicæ ſupellectilem. Quòd ſi ipſe iccirco dictionem, ſiue nomen, uerbumue logicæ materiam eſſe cenſes, quòd ab Ariſtote-le in libris logicæ artis eorum deffinitio tradita eſt, ego quo-que nomen ſimul & uerbum grammaticæ arti ſubiecero: propterea quia eæ dictiones ſiue uoces a grammaticis de-finiuntur: itaque ſimul & logicæ & grammaticæ pro-pria facultas erit nomen pariter & uerbum, quod impar diſſentaneumque eſt: non enim eadem res ſiue materia propriè duarum diſsidentium inter ſe facultatum eſſe exi-ſtimanda eſt. Præterea ſi tam quæ longinqua eſt, ut di-ctio, quàm quæ prope facultatem res eſt, ut oratio, ma-teria artis putatur; eadem ratione quæ prima a philoſo-phis materia nuncupatur, propria ſubiectio erit non phy-ſicæ tantum, ſed aliarum etiam tam illiberalium ſeruili-umque, quàm liberalium artium, quæ in rebus uerſantur.

Quare

Quare quemadmodũ cæteris diſciplinis eas facultates tribuimus quæ proximè diſciplinas ſunt, nõ quæ magno diuortio ab eis diſtant, ueluti aſtronomiæ non continuã magnitudinem, quæ geometrica eſt, ſed eam duntaxat continentem magnitudinem ſubijcimus, quæ in cœleſtibus orbibus ineſt, eadem ratione logicæ non niſi quæ in proximo illi eſt materia aſcribenda eſt: ueluti oratio, qua uerum mendacium ue notatur: non item dictio, in qua nulla ueritatis fictiue ſignificatio apparet. Quod autem ipſæ dictiones & uocabula rerum ideo materiam eſſe logicæ contendis, quòd ſine his oratio cohærere non poteſt; eodem pacto magnitudinem aſtronomiæ facultatem eſſe affirmauerim, propterea quòd, ſi nulla ſit magnitudo, ne cœleſtis quidem orbis magnitudo erit: proinde eam duntaxat eſſe logicæ materiam exiſtimauerim, quæ proximè arti adhæreſcit, quæque eo interminata eſt, atque ita affecta, ut omni expuncta copula, logicæ rei proprietates induere ualeat: quemadmodum eam hominis materiam uocamus, quæ ijs prædita dotibus ſit, atque ita affecta, ut ilico cum anima hominis ſeſe deuincire atque illigare ualeat, non elementa, non cætera corpora, quæ licèt ſumere ualeant eos affectus, quos hominum natura admittit ante ſe, nondum tamen eos ſubiere: ita ſingularum artium materia eſt, quæ proprijs earum artium affectionibus ſtatim imbui atque inſtrui poteſt. Ex ijs equidem concludo, non uocabula, neque omnes animorum comprehenſiones, ſed eas tantummodo perceptiones animi, quæ informandæ ſunt ijs affectionibus, quas logica eis inſerit, materiam eſſe logicæ facultatis. Hæc Caſtilionei ſententia, ut ab homine acutiſſimo excogitata, ita a plæriſque commendata eſt. Maioragius uerò,

tum ne uictus dare manus Caſtilioneo iuniori uideretur, tum quia nondum mutauerat ſententiam, quamuis ſatis ponderis ineſſe in ea oratione, quam Caſtilioneus ſubiecerat, intelligeret, hoc illi reſponſum dedit. Et ſi, Franciſce iucundiſſime, multum roboris ineſſe appareat in oratione tua, minime illa tamen infringit, ac ne tantillum quidē debilitat eam, quā nos protulimus ſententiam: ut uerò ſenſum animi noſtri planiùs aperiamus, eam inquam animi inuentionem, quam ſibi animus effinxit & afformauit, logicæ ſubeſſe ſentio, quæ cōmunis eſt omnium rerum, quæ in arte pertractantur, quod hac ratione cuiuis perſuaderi poſſe opinor. Nam cum triplex perceptionū comprehenſionumq; animi genus ſit, quorum primum quidem genus indiuiduarū ſimpliciumq; rerū perſpicientia traditur, alterū genus eſt ſimplicium rerū aut compoſitio aut diſſolutio, tertium uerò genus ratiocinatio eſt, qua a re perſpecta & cognita ad id perſpiciendum, quod ignotum nobis eſt, trahimur. De primo genere rerū Ariſtoteles locutus eſt in libro categoriarum, quas noſtri prædicamenta uerterunt: alterum genus idem oratione complexus eſt, atque breuiter perſtrinxit in libro de interpretatione: poſtremū genus in prioribus poſterioribusq; analyticis idem philoſophus executus eſt: quæ cum ita ſint, cumq; nullum, præter ea quæ a nobis recitata ſunt, comprehenſionum animi genus ſit, dilucidè conſtat, uniuerſum genus conceptionū comprehenſionūq; animi ſe logicæ facultati ſubijcere. Quòd uerò ipſe ais, non longinquam ſed affinem proximioremq; formis proprietatibusq; artis materiam ipſius artis eſſe oportere, tibi equidem aſſentior; uerùm hoc haud mihi tecū conuenit, quòd ipſe dictionē & uocabula rerum magno di-

ſtare interuallo a proprietatibus logicæ facultatis aſſeueras, ego uerò non ſecus dictiones uocabulaq;, quatenus animi comprehenſiones ſunt, atq; orationes (nam & hæ comprehenſiones animi ſunt) & informari poſſe proprietatibus logicæ ſcientiæ, & ipſius facultatis ſubiectionem eſſe exiſtimo. Ac licèt nomen iuxta ac uerbũ perinde a grammaticis atq; a dialecticis definiantur, tamẽ ut dictiões ſunt, atq; poteſtatẽ ſignificationemq; habent, a logicis duntaxat ſpectantur: prout uerò nomen & uerbũ non ſignificantis, ſed tantũmodo conſtruendæ & texendæ certa quadã ratione & regula orationis partes ſunt, a grãmaticis deſcribuntur ſimul & excogitantur. Cui hæc obiecit Caſtilioneus, Ex ijs quæ abs te relata ſunt ſequitur, non omnes perceptiones comprehenſionesue animorũ ſubijci logicæ diſciplinæ; itaq; tuã ipſe ſententiam propria oratione infirmas, atq; adeo deſtruis, ac ſi te ipſe tuis armis confodias: nam cũ nomen uerbumq;, quatenus componendæ grammaticæ orationis partes ſunt, a grãmaticis non a logicis et finiri et animaduerti aſtruis, hac oratione negas omnes animi cõprehenſiones logicæ artis materiã eſſe: ſiquidẽ nomen, pariter & uerbũ, atq; grammatica oratio, nõ res a natura cõparatæ, ſed animi inuenta cogitataq; ſunt: nam perinde animus author eſt grãmaticæ orationis, partiumq; eius orationis, ac logicæ enunciationis, partiumq; eiusdẽ: quare mirificas tibi ago gratias, qui hac ipſa in re mihi adiutor ſis, qua in re te mihi acerrimũ aduerſariũ fore ſuſpicabar. Hac Caſtilioneus oratione pluribus Academicis riſum mouit, at Maioragium ſuppuduit pugnantia dixiſſe: ne uerò ſibi minimè conſtare uideretur, hæc ſubinde retulit, Sic exiſtimes uelim Franciſce ſuauiſsime et doctiſsime, ex inuentionibus animi alias ad

res proximè pertinere, aliàs a rebus ipſis deuinctas eſſe: ad res proximè attinent uocabula ac dictiones, quibus ſignificandi uis ineſt, quas perpendi atque cogitari a logicis uolumus: a rebus ſemotæ ſeiunctæque ſunt uoces atq; orationes, quæ a grammaticis traduntur: non enim grammatici in hoc elaborant, ut nos ea præcepta edoceant, quibus uerum indagare ipſumque a mendacio ſecernere ualeamus, quod logicorum munus eſſe ſupra oſtenſum eſt, ſed id dant operam, ut nos inſtruant, quemadmodum nomina cum uerbis in oratione rectè cohæreant, adeo ut texturam compoſituramque orationis non ad res referant ſed ad legem conſtructionis, quam recepti authores ſeruarunt: mihi uerò ſermo eſt de ijs inuentis animi, quæ ad res atq; ad inueſtigationem ueritatis accommodantur: huiusmodi cogitata inuentaque animi ſiue dictiones, ſiue orationes, ſiue ſyllogismi ſint, ſuam eſſe logicæ rei materiam affirmamus. Ex *ijs patet, me, dum propriam defendo ſententiam, non eam tollere ac tuam confirmare opinionem, ut ipſe ais.* Cui *Caſtilioneus, ſat habeo, inquit, quando tute mihi conceſſiſti, non omnes animi inuentiones, ſiue mauis conceptiones eas nominare, logicæ artis ſubiectionē eſſe: ſed tamen, quia de ijs animæ inuentis loqui te aſſeris, quæ ad res referuntur; quæ quidem logicæ facultatis propria eſſe narras, atque in his tanquam in ſua peculiarique materia logicam uerſari contendis; ut quæ ipſe præcipis faciliùs percipiamus, non ut tibi reluctemur; libet nobis ea in medium adducere, quæ in materia cuiusq; diſciplinæ ineſſe oportet, quæque peritiores uiri propria munera ſubiectioni elargiti ſunt: quæ ſi huic, quam ipſe inſtituis & fabricas materiæ huius artis pulchrè conci=*

nunt & quadrant, haud dubiè affirmandum eſt abs te, propriam logicæ rei facultatem, & materiam repertam eſſe: ſin hæc animi inuenta, ſiue hæc abs te logicæ tributa materia aliquibus uacat muneribus dotibusque, quæ appoſitè idoneèque reſpondent logicæ facultati; quis non uidet, minimè hanc eſſe logicæ artis materiam, quam ſibi logica, te authore, uendicat? His uerò dotibus materia cuiusuis ſcientiæ prædita inſtructaque eſt, primùm quidem eſſe eam ipſam materiam, quidque ipſa ſit, pro comperto habendum eſt ijs qui artem percepturi ſunt, id quod Ariſtoteles primo uolumine poſteriorum analyticorum præcepit, quod quidem munus huic abs te excogitatæ logicæ materiæ minùs congruit: nam ſi logici comminiſcuntur finguntque ſibi has animi inuentiones comprehenſionesue, quas ſibi logica propriam materiam aſciſcit; qui notæ compertæque ijs ſunt eæ animi perceptiones, qui logicam capeſcere & diſcere tentant? deinde opus eſt, ut ex diffinitione ſubiectæ rei, eiusdē ſubiectæ materiæ proprietates nobis pateant, id quod Ariſtoteles in primo libro de anima teſtatus eſt: quod ſi ijs qui logicæ facultatis adhuc imperiti ſunt, qui tamen eam conſequi ſtudent, nondum perſpecta eſt deffinitio logicæ materiæ, quonammodo ex ea deffinitione eius materiæ proprietates perſpicere queunt? Tum Maioragius, definitionem ſubiectæ materiæ haud ſemper exploratam compertamque ijs qui artem capeſcere inſtituerunt eſſe oportere inquit, ſed aliquoties eam explicari, nonnunquam etiam inueſtigari ab artis magiſtro ſolitam eſſe ait, atque Ariſtotelem aliosque illuſtres ſcriptores teſtes citauit, qui ſanè uiri, aut ſubiectam rem initio operis definiuerunt, aut eius ipſius ſub-

biectæ rei definitionem quibusdam probabilibus rationibus ſcrutati ſunt: quinetiam uerba ex primo libro de officijs M. T. C. *recitauit, quibus a deffinitione ſumendum exordiũ operis* Cicero *ſignificauit, quæ quidẽ* Ciceronis *uerba, quando ſcitu memoratuq; digna ſunt, adſcripſimus.* Omnis *noſtra inſtitutio debet a deffinitione proficiſci, ut intelligatur id de quo diſputatur.* Itaq; *ſatis patere inquit, non adeo patefactam illuſtratamque omnibus eſſe oportere ſubiectæ materiæ cuiusuis artis definitionem, ut nulla ratione explanari debeat; nec uerò etiam ſubiectionem diſciplinarum usqueadeo in promptu omnibus eſſe debere, ut aliqua probabili ratione quandoque non egeat, idque ipſius* Ariſtotelis *teſtimonio confirmauit: nam ab ipſo philoſopho in libro elenchorum oſtenſum eſt, ſophisma ſiue ſophiſticum ſyllogismum eſſe: ab eodem ſapientiſsimo philoſopho, in primo libro poſteriorum analyticorum, certa quadam ratione, commonſtratum eſt, ſcientiam eſſe: cum uerò & ſophisma propriè ſubijciatur libris elenchorum, & ſcientia, ſiue id quod ſcire eſt, ſua ſit materia & facultas libri poſteriorum analyticorum* Ariſtotelis*, efficitur, ut etiam materia operis aliqua ſignificatione oſtendi aut monſtrari queat.* Hac oratione Maioragius ſe potitum rerum *eſſe arbitrabatur, atq; a ſe planè compertam eſſe materiã logicæ facultatis, nec quenquã qui ipſi refragari poſſet inueniri poſſe cenſebat.* At Caſtilioneus *citiùs eius opiniõe illi occurrit, atque adeo firmis argumentis* Maioragij *opinionẽ confutauit, ut potiùs ipſe* Maioragium *in propriam ſententiam traxerit, quàm ipſe aſtipulatus ſit acceſſeritque* Maioragij *ſententiæ & opinioni, atque ita effatus eſt.* *Subiectam cuiuis ſcientiæ materiam & facultatem, aut*

ſuo lumine perſpicuam notamque, aut in ſuperiori excellentiorique ſcientia patefactam illuſtratamque eſſe oportere teſtatus eſt Auerroës *in commentarijs quæ edidit in primum librum phyſicorum* Ariſtotelis *: adeo ut* M. Antonius Zimara *uir cum ſumma doctrina, tum grauißimo iudicio probatus, tum hac quam citauimus* Auerrois *authoritate, tum pluribus alijs ſapientium uirorum præceptis & inſtitutis adductus, ita ſcriptum reliquerit,* Quæ *ſubiecta cuipiam facultati res eſt, ea de cauſa nota eſſe debet, quòd ſubiecta eſt, ac tanquam admiſſa receptaque habetur: nunc hanc ipſam facultatem perpendamus, quæ, iudice te, logicæ aſſerenda eſt, quam animi inuentionem comprehenſionemue ad res acommodatam eſſe refers.* Hæc *quidem materia logicæ artis, cum ratiocinatione tantùm conquiratur, non niſi ab ijs, qui ratiocinandi legem norunt, qui ſanè logici ſunt, perſpecta eſſe poteſt: quo fit, ut ſuapte ſponte ac proprio lumine haudquaquam illuſtris, cognitaque ſit ijs, qui rudimentis logicæ imbui ſtudent.* Nec *uerò hæc ipſa, quæ modò abs te memorata eſt, facultas logicæ ſcientiæ, in ulla ſuperiori, atque locupletiori ſcientia probari poteſt; quandoquidem logica, inſtar metaphyſicæ, communis eſt aliarum facultatum, ut aliàs in ſententiam* Auerrois & Ariſtotelis *in hac celebri corona memoratum eſt; adeo ut potius in logica declarari atque commoſtrari aliarum artium primordia ſubiectionesque debeant, quàm ut incunabula principiaque logicæ facultatis in aliqua communiori atque antegreſſa arte tradi aut demonſtrari conueniat.* Ex *ijs ſatis perſpicuum eſt, haſce animi perceptiones, quas ipſe logicæ materiam eſſe narras, longè obſcurio-*

res, cognituque difficiliores eſſe, quàm ſubiectæ rei diſciplinarum conueniat: quinetiam eò obſcuritatis eas redactas eſſe uidemus, ut non probabili atque tenui ratione, qua ſubobſcuræ facultates diſciplinarum palàm fieri ſolent, ſed firmiori ratione & ſyllogiſmo probari debeant. Octauianus Rauerta, quippe qui optimè nouerat Maioragij ingenium, quem ſcilicet animo perſpiciebat diem conſumpturum eſſe altercatione, ac defendenda quo iure, quaq; iniuria propria ſententia, ne longiùs hæc, quæ illi cum Caſtilioneo erat, controuerſia extraheretur, quàm Caſtilionei oratione ita ſedatam eſſe uidebat, ut ea ipſa oratione cuiuis ſatisfactum eſſe cenſeret, ita Caſtilioneum allocutus eſt. Quoniam ſatis ſuperque de hac re dictum eſt, ac luce clarius perſpicuum eſt, animi perceptiones uel comprehenſiones minùs rectè exiſtimari a Maioragio ſuam eſſe logicæ artis materiam, ac quia nondum planè comperta indagataque eſt materia huius facultatis, agedum, Caſtilionee ſcientiſsime, fare quam ipſe ſubijciendam putes huic arti facultatem: ac non minùs te diligentem cuſtodem defenſoremque arcis propriæ cauſæ præbeas uelim, quàm aliena caſtra inuadere atque oppugnare uiſus ſis. Atqui uereor, inquit Caſtilioneus, ne cum parùm uehemens in profligandis aduerſarij propugnaculis fuerim, longè imbecillior infirmiorque futurus ſim in tuenda cuſtodiendaque arce propriæ cauſæ; primùm quia difficiliùs eſt quæ teneas ſarcta tectaque ſeruare, quàm aliena deijcere & conſternari, deinde quòd, cum Maioragio obſtreperem, non meis ſolùm, ſed ueſtris etiam opibus adiumentiſque inſtructus fretusq; eram (plures enim illius ſententiæ reclamare atque aduerſari certò ſciebam) nunc

uerò, ſi meam agere & ſuſtinere cauſam curauero, mihi uni multorum aduerſariorum impetus atque ictus ſuſtinere atque etiam reijcere neceſſe eſt. Itaque *mihi multò laborioſiùs, difficiliùsque fore arbitror, meipſum tegere ac defendere ab argumentis rationibusque multorum eorundemque ualentium aduerſariorum, quàm, adiuuantibus pluribus eisdemque robuſtis commilitonibus, cum ſingulari homine decertare, quamuis egregius ſtrenuusque propugnator is exiſtat.* Pomponius *Cuſanus, qui percupidus atque amantiſsimus Caſtilionei erat, inquit,* Aliàs *te cum* Andrea *Camutio, cum* Hieronymo *Garbagnato, atq; cum* Bernardino *Baldino, quorum conſuetudine maiorem in modum delectaris, in conuiuio accuratiſsimè ſubtiliſsimèque diſputantem de materia logicæ & rhetoricæ artis his auribus ego audiui, tuamque illis diſputationem multò ſuauiorem fuiſſe animaduerti, quàm lautiores epulas, quas eis ſumma cum hilaritate præbueras: poſtea uerò, cum Camutium et* Baldinum *liberalium artium profeſſores ſeparatim allocutus eſſem, perquiſiuiſſemque, an tuam illi probarent ſententiam, uterque eorum ſatis argutè ſatisq; ſubtiliter te diſſeruiſſe de facultate logicæ & rhetorum diſciplinæ affirmauit: quàm uerò illi commendarint aciem ingenij tui, ipſi teſtes ſunt.* Tum *uterque, Camutius ſcilicet &* Baldinus*, acutiſsimè locutum eſſe de differendi facultate Caſtilioneum, ut Cuſanus retulerat, aſſeuerarunt, quæque Caſtilionei ſententia eſſet de materia logicæ facultatis uel nemine rogante expoſuerunt.* Itaque *placere Caſtilioneo rationem ſiue modum ſciendi peculiarem propriamque eſſe logicæ artis materiam memorarunt.* Tum Franciſcus *Raueslatus, qui & ipſe liberales artes &*

medicinam ſtrenuè & magna cum laude profitebatur, qui quidem ratiocinationem ſyllogiſmumue ut propriam facultatem logicæ tribuebat, Caſtilioneum percontatus eſt, qua compulſus ratione ita ſentiret, quamque ob rem ſciendi rationem & modum logicæ ſubijceret. Cui Caſtilioneus humaniſſimè inquit, Equidem authoritate Ariſtotelis confiſus ita ſentio & ſtatuo: enimuero philoſophus in calce ſecundi libri diuinæ ſapientiæ ait, Impar inconueniensque eſt ſimul & ſcientiam & ſciendi rationem exquirere: quo loco Auerroës ſciendi ratione logicam ſignificatam eſſe ab Ariſtotele planè memorauit. Hæcque ſubinde addidit, ut planiùs cuiuis pateat, ita cum Ariſtotele ſenſiſſe Auerroën, atque utrumque ſciendi rationem propriam logicæ ſubiectionem eſſe uoluiſſe. Verba Ariſtotelis, quæ in penultimo contextu ſecundi libri metaphyſicæ ſapientiæ exarata ſunt, quæ adhuc in memoria habeo, tibi recitaturus ſum, deinceps quemadmodum Auerroës eam philoſophi orationem enodarit atque interpretatus ſit breuiter explicaturus. Poſteaquam philoſophus docuit alias ab alijs hominum generibus probationes requiri, poſtremò inquit, Operæpretium eſt homines doceri, quam inire uiam rationemque cognoſcendarum rerum debeant: uitioſum enim eſt ſimul in ueſtiganda & ſcientia & ſciendi ratione quenquam hominem diſtineri. Auerroës uerò fidus ac ſedulus Ariſtotelis interpres philoſophi ſenſum hac oratione clarum perſpicuumque reddidit. Ex hac philoſophus eſt ſententia, homines noſce oportere, qua uia adeundum ſit ad ſcientiam cognitionemque uniuſcuiuſque rei, idque ea re ſcriptùm eſſe a philoſopho ait, quòd quædam logica

facultas communis eſt omnium artium, quædam uerò propria eſt cuiusuis ſcientiæ: uerùm neminem ſatis ulla arte inſtructum eſſe poſſe, niſi quæ communia, quæque peculiaria & propria illius artis ſint priùs aſſecutus fuerit: adſcriptumque a philoſopho hoc perutile & ualde memorabile præceptum inquit, una cum ſcientia ſcientiæ rationem ſectandam percipiendamque nemini eſſe: nam qui utranque ſimul ſequuntur, neutram aſſequuntur. Deinde eos qui utrique, & ſcientiæ, & rationi ſciendi dant operam, cum ijs idoneè comparat, qui quam ipſi ediſcunt uiam, alios docere inſtituunt: nec minùs eosdem artium profeſſores cum ijs hominibus congruè conferri poſſe inquit, qui pariter & medicam artem condiſcunt, & ægros curare tentant. Ex ijs cum Auerrois, tum Ariſtotelis uerbis ſatis intelligi poſſe inquit, ſciendi rationem propriè ſubiectam eſſe logicæ diſciplinæ. Quin potiùs, ait Raueslatus, ex ijs Ariſtotelis Ariſtoteleique interpretis uerbis colligitur, ſciendi rationem eandem eſſe cum logica ſcientia: nam ſi rectè perpendamus hæc uerba quæ abs te in ſententiam utriusque philoſophi pronunciata ſunt, ſcientiæ ratione logicam notari perſpicuum eſt. Quid quòd ipſe hæc uerba memoraſti? Auerroës ſciendi ratione logicam ſignificatam eſſe ab Ariſtotele planè inquit. Verùm haudquaquam nobis habetur disputatio de eo ipſo quod logica exiſtit: neque an ſciendi ratio, an ars, anne inſtrumentum logica ſit, quærimus: nam hanc ſublatam eſſe controuerſiam pauloante non ignoramus, ubi logicam inſtrumentum eſſe ſancitum eſt: ſed potiùs id in controuerſia eſt, quæ ſit materia logicæ rei. Raueslato hæc Caſtilioneus reddidit.

Tu Pol homo uerba accuratiùs notas, cæterum noſtri animi ſententiam aut non es aſſecutus, aut, quod potiùs reor, te non aſſecutum eſſe fingis, qui, dum fortè tibi mecum de rebus conuenit, ne nihil de materia logicæ facultatis dixiſſe uidearis, uerbis diſceptare ac decertare paras: atqui non uerbis ſed animis certandum diſputandumque eſſe Ariſtoteles primo libro poſteriorum analyticorum præcipit, ut tute optimè noſti. Cui Raueslatus, tibi ne ego aſſentiar, an potiùs diſſentiar in hac re, nunc nobis non eſt narrandi locus; illud equidem contendo ex Ariſtotelis atq; Auerrois uerbis, quæ modò abs te prolata ſunt, conuinci & colligi, ſciendi rationem logicam eſſe, non logicæ materiam: neque uerbis, ſed rebus a te diſsideo, quandoquidem ipſe ais, Ariſtoteli uiſum eſſe logicæ ſubiectionem materiamue eſſe ſcientiæ rationem; ego uerò eo inficias. Ac, ut ingenuè fatear, de poteſtate & ſignificatu uerborum Ariſtotelis & Auerrois tecum & decertamus, &, ſi libet uti hoc uerbo, rixamur: neque tamen nos id temere facere exiſtimandum eſt; nam qui ſententia Ariſtotelis cæterorumque illuſtrium authorum nobis perſpici poteſt, niſi uis & ſignificatio uerborum quibus uſi ſunt, priùs ad unguem cognita ſit? Ad hæc Caſtilioneus, ſi de ſignificatu dictionum uerba facere nos oportet, quid obſtat, quominus æquè mihi atque tibi utriusque philoſophi ſtudium & uoluntatem interpretari, hoc eſt eorum, quæ ipſi perſcripſerunt, uerborum ſenſum elicere conceſſum ſit? Cui Raueslatus hoc reſponſo occurrit, Nihil ſanè prohibet, quin pariter & tibi et cæteris hominibus Ariſtotelis aliorumq; authorum dicta explanare, eorumque ſenſum eruere integrum liberumque ſit: uerùm authorum ſenſum rectè

percipere atq; commodè fideliterque illuſtrare non itidem omnibus permiſſum eſt: illudque quod in prouerbio eſt, Non omnibus licet adire Corinthum, iure optimo ad eos accommodari poteſt, qui receptos authores, præcipuè ſcientiſſimos acutiſſimosque philoſophos ſedulò percipere, atque eorum ſenſus alijs aperire propoſuerunt. Cui Caſtilioneus, Cur non perinde mihi atque tibi ex eorum numero eſſe licet, qui rectè aſſecuti ſunt hæc, quæ ab Ariſtotele atq; ab Auerroë tradita eſſe diximus? aut quid cauſæ eſt, quare non aliter tibi, atque nobis, iſtuc ipſum negatum ſit? atque uterque noſtrum in eorum numero ſit, qui perperam Ariſtotelis Ariſtoteleique interpretis uerba perceperunt? Veruntamen fac utrunque noſtrum in errore eſſe, neutrumque uerè ſcopum attigiſſe, atq; eorũ quæ a nobis recitata ſunt philoſophorum uerba, ſenſum rectè collegiſſe, hîc non noſtra authoritate & iudicio, ſed probatiorum uirorum teſtimonio uterque noſtrum propriã defendere ſententiam debet. Agè igitur, ait Raueslatus, agamus teſtibus, hac tamen lege, ut de ſententia teſtiũ nobis etiam diſputandum altercandumque minimè ſit, ne alios teſtes producere cogamur teſtificandæ confirmandæque primorum teſtium ſententiæ gratia, aliosque deinde, quibus confirmemus horum teſtimonium, quos ſecundo loco teſtes citauerimus, neue in infinitum contentio noſtra trahatur, dum teſtes teſtibus ſuperaddimus, atque teſtimonij teſtimoniũ requirimus. Quem contra Caſtilioneus ita effatus eſt, Eos citare teſtes nobis animus eſt, quibus tantũ fidei habendum aſtringendumque ſit, ut non alieno teſtimonio neque alijs teſtibus nobis opus ſit, quibus horum, quos adducturi ſumus teſtes, teſtimonium ratum firmumque

reddatur. Diuus Thomas ſumma uir authoritate atque locupletiſſimus teſtis in commentarijs quæ in libros metaphyſicæ doctrinæ Ariſtotelis ſcripſit, philoſophi uerba pauloante a nobis ex ſecundo libro diuinæ ſapientiæ deprompta in hunc ſenſum accipienda eſſe docuit. Impar eſt quenquam ſimul & ſcientiam atque eum qui ſcientiæ congruit modum quæritare, eaque re operæpretium eſt prius logicam capeſcere & aſſequi, quàm reliquas diſciplinas: propterea quòd logica nobis communem rationem ſiue modum, quem in cunctis facultatibus ſeruare opus ſit, ſedulo tradit. Ibi diuus Thomas haud eandem eſſe logicam facultatem cum ſcientiæ ratione modoq; uoluit, ſed a logica modum rationemq; ſcientiæ nobis tradi & comparari affirmauit. Quæ diuus Thomas in hanc ſententiã ſcripſerit, habes: nunc quæ ſit Scoti & acutiſſimi & grauiſſimi uiri ſententia accipe. Is in prima quæſtione in iſagogen Porphyrij, dum ſcientiane annon logica ſit diſquirit, primò tutatus partes eorum qui ſcientiam eam eſſe negant, hoc pacto argumentatus eſt. Ratio aut modus ſciendi haudquaquam ſcientia eſt; at logica ratio modusue ſciendi exiſtit, logica igitur haudquaquam eſt ſcientia. Tum demum in eorum ſententiam inuectus, dum eam argumentationem diluit, hanc, quæ ſecundo loco aſſumpta erat, inficiatus eſt propoſitionem, Logica ratio modusq; ſciendi eſt: poſtremo in hunc ſenſum capi oportere hanc ſententiam inquit, Logica modus ſiue ratio ſciendi exiſtit, hoc eſt, Logica nos inſtruit docetque ſcientiæ rationẽ: quia in logica facultate agitur de ſyllogismo uel de argumento, quo quidem ſcientia nobis paratur. Tum Raueslatus, quemadmodum ipſe diui Thomæ atque Scoti teſtimonio

Digitized by Google

ſretus Ariſtotelis uerba in hunc ſenſum accipis, ut non rationem modumque ſciendi logicam eſſe philoſophi uerbis ſignificatum eſſe uelis, ſed potiùs oſtenſum eſſe hiſce uerbis, in logica facultate agi tractarique de ratione ſcientiæ opineris; pari modo mihi quoque a teſtibus iiſque etiam grauioribus quàm qui abs te adducti ſunt, arguere licet, Ariſtotelem eadem oratione docuiſſe logicam ſciendi rationem eſſe. Ac primò teſte Auerroë noſtri animi ſententiam confirmare nobis integrum eſt: ſententiam Auerrois ſumma authoritate uiri, ut unica oratione abs te expoſita eſt, nos repetere inſtituimus. Auerroës ſciendi ratione logicam ſignificatam eſſe ab Ariſtotele retulit, quinetiam quæ Auerrois uerba abs te poſtea recitata ſunt, ſi rectè ponderentur, eandem eſſe rationem ſciendi cum logica facultate haud dubiè indicant. Libet quoque Alexandrum authorem & teſtem citare, quem imitandum iis eſſe, qui Peripateticorum ueſtigia ſequuntur, iubet Auerroës. Alexander in calce ſecundi libri metaphyſicæ ait his uerbis. Impar incongruensque eſt ſimul & ſcientiam & ſciendi rationem exquirere, Ariſtotelem præcepiſſe in analyticis præceptis, nobis elaborandum eſſe, ac rationes demonſtrandi, rationumque concluſiones nobis perſpectas eſſe debere: neque enim rationi conſentaneum eſſe, quenquam hominem pariter & inueſtiganda rerum ſcientia occupari, & qua ratione quoque pacto ſcientia nobis paretur excogitare: cum ne altera quidem res paruo negotio ſeparatim conquiratur; quæ Alexandri oratio ſciendi ratione logicam ab Ariſtotele notatam eſſe perſpicue docet. Mirificas tibi ago gratias, inquit Caſtilioneus, quando etiam Alexandri

ſummi uiri teſtimonio, Scoti atque Thomæ teſtimonium firmius reddis, firmioremque noſtram efficis rationem & ſententiam. Quid enim aliud ſibi uolunt hæc uerba Alexandri, quæ modò abs te prolata ſunt; Ariſtoteles præcepit in analyticis præceptis nobis elaborandum eſſe, ac rationes demonſtrandi, rationumque concluſiones nobis perſpectas eſſe debere; quàm logicam nobis amplexandam ediſcendamque eſſe, præſertim analytica Ariſtotelis? ut demonſtrandi, hoc eſt ſciendi rationes, rationumque concluſiones aſſequamur; quod perinde eſt, ac ſi Alexander dixiſſet, Ariſtotelem nos adhortari ad ſtudium logicæ, præcipuè analyticorum, in quibus de ratione demonſtrandi, hoc eſt de modo rationeq; ſciendi agitur: ex qua quidem Alexandri oratione facilè conſtat, ſciendi rationem logicæ facultati propriè ſubiectam eſſe. Hac Caſtilionei oratione non mediocriter commotus Raueslatus ita locutus eſt. Quod equidem diuinaram, quodque futurum tibi prædixeram, haud aliter quàm ipſe ſuſpicatus eram, euenit: nanque a teſtibus contra teſtes nunc dicendum eſt, atque pro teſtibus alios teſtes adducere eſt neceſſe. Cum enim ipſe Alexandri orationem longe aliter accipiendam eſſe affirmes, atq; ego eam intelligendã eſſe dixerim, cumq; uterq; noſtrum in propriam ſententiam hanc Alexandri orationem trahere ſtudeat, huc deducti ſumus, ut utrique noſtrum aliorum teſtimonio probandum ſit, quare quisq; noſtrum in proprium ſenſum Alexandri uerba accipienda eſſe arbitretur: quocirca, ne dum alios atque alios producere teſtes curamus confirmandi propoſiti cauſa, potiùs ſtudio tuendæ propriæ opinionis contendere ac diſceptare, quàm inueſtigandæ ueritatis cauſa diſſerere uideamur,

mur,

mur, cenſeo non teſtimonio, ſed potiùs argumentis rationeque nobis declarandum eſſe uter noſtrum rectiùs ſentiat, atque utrius opinio probabilior ſit, propiusq; ad ueritatem accedat: quare ſi qua ratione permotus cenſes ſciendi rationem modumue ſuam eſſe logicæ artis ſupellectilem, hanc ipſam rationem explica: ut ſi ſatis roboris firmitatisque in ea fuerit, ea ipſa nobis errorem abijciat: ſin imbecilla ſit, ipſe firmiori aliorum ratione conuictus quem ſuxiſti errorem abijcias. Hoc *Caſtilioneus* Rauesſlato *reſponſum dedit*, Eam *equidem ſubiecero rationem, quæ a* M. Antonio *Zimara alioquin eruditiſſimo atq; præſtanti & iudicio & authoritate uiro in quinquageſſimo tertio problemate adducta eſt, quam tamen ipſe rationem ab* Auerroē *mutuatus eſt.* Is Auerrois *uerba ex commentarijs in ſecundum librum phyſicorum* Ariſtotelis *deſumpta in eo problemate exarauit, quorum quidem uerborum ſenſus hic eſt.* Quemadmodum *reliquis artibus multiplicia uariaque inſtrumenta longè alios aliosque ad fines comparata ſunt; ſimili modo logica nobis unum atque item alterum, hoc eſt multiplex uarietateque diſtinctum inſtrumentum elargita eſt, ad uarios uſus uariaque ſtudia accommodum, pro uarietate & propoſitionum & cognoſcendarum rerum, quæ in unaquaque ſcientia & facultate indicantur, atque iccirco ſciendi ratio & modus logica ab* Ariſtotele *nuncupatur.* Vtque & Auerrois & Zi*maræ ſententiam unico uerbo expediam; ea re logica in ratione modoque ſcientiæ uerſari dicitur, quòd in ea de ſyllogiſmo, de enthymemate, de inductione, ac de exemplo agitur, quibus ſanè inſtrumentis, ſiue cognoſcendarũ rerum rationibus & modis uti conſueuimus in tradenda*

earum rerum notitia & ſcientia: ac, ut uno uerbo dixerim, inſtrumenta, quibus ſcientia uniuscuiusque rei quæri ſolet, logicæ arti ſubiecta ſunt: etenim in ijs logica poſita eſt, horumque inſtrumentorum proprietates in logica arte memorantur, præſertim in libris analyticorum Ariſtotelis. Tum Raueslatus *ait*, Vt *illud omiſerim rectène an perperam inſtrumentum pro ratione modoque abs te ſumptum ſit, illud non omittendum eſſe arbitror, non ſingularem materiam, ſed plureis res abs te ſubijci logicæ diſciplinæ: quòd cum numerus facultatum parilis æquabilisque ſit numero ſubiectarum rerum, ſequitur logicam non ſingularem diſciplinam, ſed potiùs plures numero eſſe artes & diſciplinas: nam multiplicem uariamque ſibi materiam aſſumit.* Neque *illud reticendum puto, non omnibus ijs, ſiue inſtrumentis, ſiue modis, ſed ſyllogismo duntaxat ſcientiam rerum acquiri: itaque minùs rectè cætera inſtrumenta ſciendi, uel rationes uel modi nuncupantur.* Contra Raueslati *ſententiam* Caſtilioneus *tetendit, atque hoc pacto locutus eſt. Sanè hæc, de quibus ſermonem habemus, inſtrumenta, in quibus poſitam eſſe logicam aſſeueramus, inter ſe diſcernuntur: neq; enim idem eſt ſyllogismus inductioni; neque non differt ſyllogismus pariter & inductio ab exemplo & enthymemate: diſcrepatque exemplum ab enthymemate; ſed tamen hoc illis conuenit, quòd cuncta hæc inſtrumenti ſiue modi ſcientiæ nomen ſibi uendicant: ut iure merito logica in ijs, tanquam in uno genere, quod quidem eſt ſciendi ratio, ſita ſit: neque enim de inductione, quatenus inductio eſt; neque de ratiocinatione ſiue ſyllogismo, quatenus ſyllogismus exiſtit; uerùm de ijs magis, prout ſunt ſci-*

endi rationes & inſtrumenta, in logica facultate tracta-tum eſt: idem ipſum de enthymemate atque exemplo, cæ-teriſque artis inſtrumentis affirmauerim; hæc nanq; qua-tenus obtinent rationem inſtrumenti, ſiue modi ſcientiæ, ſubijciuntur logicæ diſciplinæ: ex quo efficitur, ut logica in inſtrumento ſiue ratione ſcientiæ, tanquam in ſingulari propriaque fucultate & materia uerſetur: hinc ſequi-tur unicam eſſe materiam logicæ rei, quo etiam efficitur, ut logica unica ſit ars ſiue facultas. Quòd autem memo-raſti, ſyllogiſmo tantùm, non exemplo, cæteriſq; inſtrumẽ tis, ſcientiam rerũ nos percipere poſſe; itaq; ſyllogiſmum duntaxat nuncupari rationẽ uel modum ſcientiæ, libet mi-hi iterũ repetere uerba Auerrois ex cõmentarijs in ſecun-dum librum phyſicorũ Ariſtotelis, Logica nobis unum atq; item alterum inſtrumentũ elargita eſt ad uarios uſus uaria que ſtudia accommodatum, pro uarietate & propoſitionũ et cognoſcendarũ rerum, quæ in unaquaq; ſcientia tradun-tur. Iam ſatis patet ex ſententia Auerrois, alia logicæ artis inſtrumenta alijs facultatibus uſui eſſe: firmiora, ſcilicet, & ſanctiora, firmioribus ſanctioribusque facul-tatibus; imbecilliora non ita firmis artibus, id quod etiam Ariſtoteles primo libro ethicorum perſpicuè oſtendit, cu-ius quidem philoſophi ſententiam & orationem ſubdere decreuimus, ut tibi cæteriſque commilitonibus noſtris pla-niùs pateat, qua ratione adductus ipſe in hanc ſenten-tiam uenerim, atq; de materia logicæ artis ita locutus ſim. Ariſtotelis oratio huiuſmodi eſt, Peritioris uiri partes ſunt, id quod abſolutum numeris ſuis perfectumque eſt in unoquoque genere tantiſper requirere, quoad rei ip-ſius natura poſtulat: quicunque enim, quamuis de-

monſtrandi probandique rationem cunctis in facultatibus flagitant, cum ijs comparandi ſunt, qui ſuaſionem ac probabilem quandam docendi rationem a mathematicis exquirunt, ab oratoribus uerò firmiora argumenta demonſtrationesque contendunt. Atque, *ut hæc quæ & ab* Auerroë & *ab Ariſtotele dicta ſunt ſimul componam, conijciamque in unum; cum ſingulæ quæque artes ea quæ in uſum adhibent inſtrumenta ac proban di rationes a logica mutuentur, cumque aliæ alijs utantur inſtrumentis ac docendi rationibus; fit, ut in logica non ſolùm de ſyllogiſmo uerumetiam de cœteris inſtrumentis & probandi modis agendum ſit, alioquin logica haudqua quam ad omnes facultates hæc quæ idonea ſunt ipſis artibus inſtrumenta deferre atque accommodare poſſet.* Hæc Caſtilionei *oratio ſatis ponderis habere uiſa eſt ferè omnibus* Academicis *uiris, attamen*Raueslatus, *qui logicam in ſyllogiſmo tanquam in propria ac principe materia uerſari opinabatur, ego, inquit, alius a te ſum: nam logicæ ratiocinationem ſyllogiſmumue propriè ſubijci oportere exiſtimo, atque in ſyllogiſmo tanquam in propria materia logicos occupari cenſeo, ac primò quamobrem ita ſentiam expoſiturus ſum, deinde qua de cauſa tibi diſſentiar, expediam.* Iam *logicam inſtrumentum eſſe hoc loco concluſum ſancitumque eſt: cum uerò inſtrumenta dignitate inferiora ijs rebus ſint, quarum rerum gratia comparata ſunt, ut* Ariſtoteles *primo uolumine ethicorũ probè oſtendit, ſequitur logicam haud quidem omnibus facultatibus inſtrumentum, hoc eſt famulam ſe præbere, alioquin humillima abiectiſſimaq; omnium artium logica eſſet: nanque in hoc nata ſunt inſtrumenta, ut ijs a quibus ad-*

hibentur uſurpanturque deſeruiant, ut, idem philoſophus primo libro politicorum teſtatum reliquit. Si enim, ut ipſe narraſti, ob id excogitata compertaque foret logica, ut ſingulis artibus inſtrumenta ac probandi rationes ſuggereret ſufficeretque, ad omnium artium uſum comparata eſſet logica, itaque fieret, ut ea, quemadmodum ſe cunctis artibus ancillam præberet, ita omnibus cederet facultatibus, ac longè eis inferior eſſet nobilitatis gradu, quod quidem non ſolùm a ueritate alienum eſt, ſed etiam impium atque indignum relatu. Vt enim demus, logicam ab ijs facultatibus quæ in rebus uerſantur ſuperari dignitatis gradu, haud tamen concedendum eſt, logicam rhetorum & poëtarum arte, atque grammatica, quæ in oratione poſitæ ſunt, ut Saulius retulit, ſummißiorem indigniorem que eſſe: quo efficitur, ut neque harum facultatum cauſa adinuenta ſit logica diſciplina, neque ut his inſtrumenta ac probandi rationes condonet. Quapropter, cum logica inſtrumenti uicem ſuſtineat, ad excellentiorem facultatum uſum comparatam eam eſſe tenendum eſt, ut merito Peripatetici, referente Ammonio, logicam philoſophiæ inſtrumentum eſſe uoluerint: nanque cum logica icirco in artem redacta ſit, ut ueluti amußis ac certa quædam lex uerum a mendacio, atque rectum ab eo quod obliquum uitioſumque eſt ſecernat, fit, uti ob eas facultates duntaxat indagata ſit ars logica, quæ ſanè facultates aut in inueſtiganda ueritate, aut in inueſtigatione bonitatis poſitæ ſunt: ex quo efficitur, ut philoſophiæ, quæ utrunque munus obire poteſt; ſiquidem & uerum & quod decet æquumque eſt ea tantùm conquirit, logica famuletur: quod cum ita ſit, exiſtimandum atque adeo pro comperto

habendum eſt, logicam in eo inſtrumento ſiue ratione ſciendi uerſari, qua quidem ratione ſcientiæ uerum a mendacio, atque honeſtum ab eo quod turpe eſt diſtinguitur, atque hoc inſtrumentum ſiue ratio ſciendi ſyllogismus eſt: in ſyllogismo igitur, tanquam in propria primariaque re logica poſita eſt. Ex ijs ſatis conſtat, logicam haudquaquam excogitatam eſſe, ut rhetoricæ ac poëticæ propria ſuggerat inſtrumenta, hoc eſt enthymema atque exemplum, quandoquidem neque hæ artes in inueſtigatione ueritatis bonitatisque diſtinentur, neque hæc inſtrumenta ſatis ſunt pro inuentione ueri & boni. Hinc ſatis cuique patere arbitror, haudquaquam omnia inſtrumenta atque omnes probandi rationes, ut ipſe memoraſti, ſed unicam ſciendi rationem, ſingulareque inſtrumentum, hoc eſt ſyllogismum, propriè ac uerè ſubijci logicæ facultati. Iam quid de materia logicæ rei ſentiam expoſui: reliquum eſt, ut tua diſſoluam argumenta, quibus logicam in cunctis probandi rationibus ac modis uerſari contendis. Ac primùm Auerrois Ariſtotelisque authoritatem, cui ipſe potiſſimùm inniteris, minimè reluctari noſtræ opinioni oſtenſurus ſum, deinde tuæ argumentationi reſponſum daturus. Et ſi Auerroës in commentarijs in ſecundum librum de phyſico auditu ſcripſit, multiplex uariumque inſtrumentum a logica nobis deferri, prout uaria eſt & propoſitionum ratio & cognoſcendarum rerum diſciplina, haud tamen in omnibus inſtrumentis, tanquam in primaria principeque materia logicam poſitam eſſe, his uerbis Auerroës ſignificat, ſed in hunc ſenſum Auerrois orationem accipere nos oportet: in logica quidem pertractantur omnia inſtrumenta, quibus unaquæque facultas in

probandis proprijs problematibus uti conſueuit, cuiusmodi ſunt, enthymema, exemplum, inductio, & ſyllogismus: ita tamen, ut ſyllogismus ſua ſit & primaria materia eius artis, reliqua uerò inſtrumenta in ea arte ſpectentur, non ſuapte quidem ratione, ſed quatenus aut ad ſyllogismum referuntur, aut a ſyllogismo diſcernuntur. Quòd uerò ita cenſuerit Auerroës, *ex eius uerbis, quæ in commentarijs priorum analyticorum conſcripta ſunt, facilè colligere poſſumus.* Is *in hanc ſententiam diſſeruit.* In *hoc uolumine ſyllogismus perquiritur gratia demonſtrationis: ac ſi dixerit, propoſitum eſſe* Ariſtoteli *in hoc opere agere de ſyllogiſmo, non de enthymemate cæterisq́; probandi modis, quos tamen eodem in opere* Ariſtotelem *executum eſſe patet: ex qua re conſtat, ſyllogiſmum propriè, cætera uerò inſtrumenta prout conferuntur cũ ſyllogismo in eo opere pertractari.* Nec *uerò* Ariſtotelis *ſententia, quam ipſe ex primo libro de moribus depromptam excerptamque memoraſti, pugnat cum mea opinione & ſententia: nam licèt eo loco* Ariſtoteles *alias alijs facultatibus probandi rationes congruentes eſſe docuerit, negaueritque omnia theoremata omnesque diſciplinas ijsdem aut æquè firmis rationibus communiri atque confirmari; haud tamen inde colligendum eſt, logicam ſibi omnia inſtrumenta, cunctasque probandi confirmandique propoſiti rationes, quæ cunctis in diſciplinis uſitatæ ſunt, tanquam ſuam principemque materiam ſubijcere, quamuis ſuas ſingulis artibus commoſtrandi rationes logica elargiatur, ut* Auerroi *uiſum eſt: & ſi enim in uniuerſis probandi rationibus poſita eſt logica diſciplina, attamen in ſyllogiſmo tanquam in prima-*

ria ſupellectile ſita eſt, reliquos uerò modos, utpote ad ſyllogiſmum relatos, amplectitur. Iam ſatis promiſsis nos ſtetiſſe putamus, nam & noſtram de materia logicæ ſententiam aperuimus, & tua dicta ſatis redarguimus. Tum Caſtilioneus inquit, Quod ego ante ariolatus eram, atque tibi prædixeram futurum, haud me fefellit: ſiquidem ipſe mecum non ſententia ſed uerbis decertare contendis, nam mihi aſſentiris, concedisq; ſcientiæ rationes & modos uniuerſos logicæ facultatis materiam eſſe, ut tamen nobis diſſentiri uidearis, inquis, logicam in ſyllogiſmo tanquam in principe materia ſitam eſſe: neque ego eo inficias, quin ſyllogiſmus primo tractetur in logica ſcientia, ſed illud ſat mihi eſt, reliquos ſciendi modos etiam ſubdere ſe huic arti, id quod tute etiam mihi ultro conceſsiſti: itaque etiam annuente te, ſciendi ratio ſubiecta eſt logicæ arti. Licèt etiam ſyllogiſmum duntaxat in logica tractari demus, quis hoc conſectariū neget? Syllogiſmus materia eſt logicæ artis, ſyllogiſmus eſt ſciendi ratio, ergo ſciendi ratio aliqua ſaltem logicæ artis materia eſt: nam hæc ratiocinatio ad tertiam figuram accommodatur, ut qui initiati atque imbuti ſunt principijs logicæ artis, præclarè intelligunt. Andreas Camutius utriusque & Caſtilionei & Raueslati ſententiam mirificè probauit, propterea quia nulla ars excepta logica fingit tractatque hæc inſtrumenta haſque probandi rationes: neque enim in ijs artibus quæ de rebus ſunt agitur de ſyllogiſmo atque de reliquis docendi modis, neque in rhetorica ac poëtica, quibus oratio tractatur, de ijſdem probandi rationibus diſputatur: itaque facilè conuinci ait, haſce probandi rationes propriè logicorum eſſe: cumque

ſingulæ artes a reliquis artibus ſubiecta materia diſcernantur dirimanturque, ut colligitur ex ſexto libro metaphyſicæ ſapientiæ, cumque item logica his inſtrumentis atque ſcientiæ modis a cæteris facultatibus tantùm diſtinguatur, fit, ut huiuſmodi inſtrumenta propriè ſubiecta ſint logicæ arti, quibus ſanè ea a cæteris facultatibus diducta eſt: nanque a philoſophia cæteriſque diſciplinis quæ in artibus uerſantur ſeiungitur hæc facultas, quòd in ijs inſtrumentis poſita eſt, quæ non res, ſed orationes quædam potiùs ſunt: nam ſyllogiſmũ orationem eſſe Ariſtoteles primo libro priorũ analyticorum diffiniendo ſyllogiſmo docuit, cætera uerò inſtrumenta, utpote ad ſyllogiſmum relata, orationes eſſe nemini dubium eſt: hac quoq; materia diſcreta eſt logica a grammatica atque a rhetorum poëtarumque facultate, quòd quamuis hæ facultates in oratione uerſantur, alia tamen orationum genera complectuntur, non hæc inſtrumenta de quibus logici diſſerunt; non tamen negauerim, inquit, hæc de quibus agimus logica inſtrumenta, etiam a rhetoribus, a poëtis, neq; non etiam a philoſophis uſurpari; illud planè inficiari auſim, hæc eadem logicæ inſtrumenta ab ulla arte præterquam a logica cudi, fingi, tractari, atque afformari: ex quibus ſanè patet, hæc ipſa inſtrumenta propriam eſſe logicæ facultatis materiam: quinetiam uniuerſas dotes, quas ſibi quæque ſubiecta res artium aſciſcit, ſciendi ratio ſiue modus poſſidet. Tria potiſſimùm requirunt atque admittunt quæque ſubiectæ res diſciplinis, ut uiſum eſt Scoto ſubtili admodum uiro, & rei logicæ peritiſſimo: primùm enim pro comperto habendum eſt, & eſſe ſubiectam rem diſciplinæ, & quid res ipſa ſit, id quod Ariſtoteles in primo

uolumine poſteriorum analyticorum teſtatus eſt : deinde autem ex ſubiectæ rei diffinitione eiusdem ſubiectæ rei proprietates commonſtrandæ ſunt : tertio loco quæcunque præcepta ſancitaque ſunt in ſcientia ſiue diſciplina, ad ſubiectam materiam referri, atq; ipſius materiæ cauſa ſpectari conuenit : ſecus ſingularis ſcientia a ſingulari materia & facultate neutiquam traheretur: quæ ſanè dotes proprietatesque materiæ diſciplinarum nullo negotio ad ſciendi rationem, præcipuéque ad ſyllogismum accommodari poſſunt: etenim poſtquam Ariſtoteles *in categorijs atq; in libro periherminias, partes ſyllogiſmi ad unguem executus complexusque oratione eſt, initio primi libri priorum analyticorum ſyllogiſmi diffinitionem commodiſſimè tradidit, qua quidem ex diffinitione, & eſſe ſyllogismum, & quæ ratio naturaque ſyllogiſmi ſit liquidò patet: neq; enim eſt diffinire ſyllogismum cæterosque animi partus, qui nulli ſunt.* Præterea *eodem in libro complures ſyllogiſmi proprietates, ex ea, cuius meminimus, ſyllogiſmi diffinitione illuſtrantur, cuiusmodi ſunt figuræ ac figurarum modi & rationes, numerus dictionum & orationum, quibus propoſitum concluditur.* Inſuper *ſyllogiſmi cauſa, in ea operis parte, quæ ſyllogiſmi tractationem anteijt, de integris ſyllogiſmi partibus, ueluti de dictionibus atque de enunciatione philoſophus diſſeruit : de ijs uerò quæ ſyllogiſmo ſubijciuntur rebus, in libris poſteriorum analyticorum & topicorum locutus eſt.* Quinetiam *de ſophiſmate, ut quod priuantia quædam ſyllogiſmi eſt, uerba fecit: ſiquidem eiusdem magiſtri partes ſunt, res earumque rerum priuantiam perſpicere.* Cæteros *uerò ſciendi aut argumentandi modos logicæ facultati ſu=*

210

biectos quidem eſſe tenendum eſt, ita tamen, ut ad ſyllogiſmum, utpote numeris omnibus abſolutum perfectumque, referendi ſint; adeo ut ſciendi modum, præſertim qui præcipuus eſt, hoc eſt, ſyllogiſmum, logicæ rei materiam eſſe, ſtatuendum ſit: ex quo ſanè perſpicuum eſt, haud recipiendam eſſe eorum hominum ſententiam, qui demonſtrationem tanquã peculiarem comparemque materiam logicæ adiudicant: nam demonſtratio proximè res attingit, ac certam quandam ſyllogiſmi materiam amplectitur, atque certa quædam ſyllogiſmi pars ſpecieſue eſt, quare fit, uti & contractior quàm ſyllogiſmus, generatim ſumptus, ſit, atque haudquaquam ad omnes logicæ rei partes accommodetur: neque eos audiendos eſſe arbitror, qui iccirco demonſtrationem propriè huic ſubeſſe ſubiectamque eſſe facultati uolunt, quòd ſyllogiſmus demonſtrationis gratia excogitatus ſit, ut Auerroës in commentarijs in primum librum priorum analyticorum Ariſtotelis tradidit: id enim demonſtrationem ſuum ſyllogiſmi finem eſſe, non logicæ ſubiectionem, proculdubio arguit. Aſſenſi ſunt plærique Academici uiri huic dogmati atque ſententiæ, adeo ut uno penè omnium conſenſu atque ore prolatum ſit, ſyllogiſmum, utpote præcipuum ſciendi probandique modum, atque ad uniuerſas logicæ partes appoſitè idoneèque accommodatum, propriam principemque eſſe logicæ facultatis materiam. Cumque iam dies prope ad exitum perductus eſſet, princeps prouidus ualdeque circunſpectus, qui Academicorum animos ſatis exercitos ac defatigatos prolixitate ſermonis & diſputationis intuebatur, nobis facturus erat copiam diſcedendi, niſi Lucas Contilius,

propoſita quadam quæſtione, ipſum paulùm remoratus eſſet. Aegrè ferebat Contilius, priùs impoſitum eſſe modum huic diſputationi de materia logicæ artis, quàm ipſe oſtentaſſet Academicis ſe quoque non ignarum eſſe dialecticæ, itaque cum Camutio locutus eſt. Licèt mihi probetur tua, & Caſtilionei, Raueslatiq; opinio de materia logicæ artis quæ in controuerſia eſt, & ſciendi rationem uel modum, inprimisque ſyllogiſmum, huic arti, certa ratione, uerèque ſubijci fatear; attamen quia adhuc perplexus ſum, atque animus meus in dubio eſt, iccirco, ut omnis mihi difficultas ex animo radicitus euellatur atque extirpetur, breuibus aperiam quid ſit, quod quidem me ancipitem habet, quam quidem ambiguitatem ipſe mihi atque nonnullis alijs fortaſſe facilè breuiq; oratione adimere poteris: neque enim ambigimus te, qui diutiſsime Ticini publicè profeſſus es, atque Ariſtotelis præcepta accuratè fideliterq; enodare potuiſti, hunc quam uis difficilẽ nodum, quo ipſe implicitus ſum, expeditiùs ac ſine ullo labore diſſoluere poſſe: atque ego haudquaquam tibi reluctaturus ſum, tum quia confido fore, ut unico reſponſo hunc ipſum nodum ipſe prorſus extrices expediasq; tum etiam quod tempus nos monet ut diſceptandi finem faciamus. Id mihi quidem dubium eſt, qui ſyllogiſmus huic facultati ſe ſubijciat, quique eius ſcientia nobis comparari poßit; cum ſcientia cuiusque incognitæ rei nobis ſyllogiſmo ſiue ratiocinatione paretur: cum enim perinde nobis in obſcuro ſit is quo diſcimus, atque is quem addiſcimus ſyllogiſmum; quonammodo ſyllogiſmum aſſequi & intelligere nobis integrum eſt? quòd ſi etiam demus, ſyllogiſmo nobis huius quẽ logicæ ſubeſſe uolumus ſyllogiſmi

notitiam quæri poſſe, rurſus id in quæſtionem uocabitur, an is ſyllogismus qui alterius ſyllogismi index exiſtit, ſcientia nobis colligi poßit: quòd ſi ſcientiam eius conſequi nobis licet, igitur altero ſyllogismo hunc quem indicem eſſe perhibemus ſyllogismum declarare nobis opus eſt: itaque unicuique ſyllogismo ſyllogismus opus erit quo illuſtretur & pateſiat. Atqui ſi is quo hunc ipſum huic diſciplinæ ſubiectum ſyllogismum perquirimus, nulla nobis ſcientia partus ſit ſyllogismus, prorſusque incognitus ſit, hoc ipſo indice ignoto, quo pacto quem quærimus in hac facultate ſyllogismum inueſtigare poterimus? nam primordia indiciaque, quibus aliquam rem colligere decreuimus, planè perſpicua patefactaq; nobis eſſe oportere philoſophus in analyticis libris iterũ & ſæpius præcepit: præterea, authore Ariſtotele ſecundo libro poſteriorũ analyticorũ, deffinitione res demonſtrandæ ſunt, quo fit, ut quarum rerũ deffinitio nulla eſt, eæ nec demonſtratione nec ſcientia nobis percipi ualeant: atqui ſyllogismi, ut qui compoſitus ſit, nulla eſt deffinitio, ſiquidem earum duntaxat quæ ſolitariæ ſynceræque ſunt rerum deffinitionem tradere nobis licet; igitur ſyllogismum ſcientia comparare & ſapere minimè poſſumus, itaque ſyllogismum hunc, de quo nobis ſermo eſt, quem ſubeſſe huic arti cenſemus, nullo pacto aſſequi poterimus: quando neque ſyllogismo alio, neque ulla deffinitione nobis pateſieri atque declarari is poterit. Cum Contilio ita egit Camutius. Sic habeto Luca feſtiuißime, & ſyllogismum ſubdere ſe huic facultati, & ipſum alio ſyllogismo nobis pateſieri, ita tamen, ut is, quo duce perdiſcimus ſubiectum logicæ ſyllogismũ, non lateat nos ſyllogismus, is uerò de quo agitur in hac

facultate, ſyllogiſmus, nobis in occulto atque ignotus ſit: nam quæ indici ſyllogiſmo aſſumuntur propoſitiones, palàm nobis ſunt, ita, ut non modò ueras eſſe eas intelligamus, ſed etiam quemadmodum ex eis concludendum ſit perſpiciamus. Cæterum quæ communioris atque fuſiùs accepti ſyllogiſmi proprietates peculiareſque dotes ſunt, quæ quidẽ in hac facultate perquiruntur, haudquaquã ſe in indice atque primario ſyllogiſmo oſtendunt. Vtque breuibus aperiam noſtri animi ſententiam, is, quem ſibi logica diſciplina ſubiectum ſyllogiſmum uendicat, quatenus tectiores atque latentes proprietates poßidet, nobis in occulto eſt, ac noſtram ſcientiam fugit, idemque ſcientia comparari poteſt, atque ideo ratiocinatione ſiue ſyllogiſmo aliquo nobis percipi ualet; porrò ducis ſyllogiſmi propoſitiones nobis perſpectæ ſint neceſſe eſt, in quibus etiam uis concludendi propoſiti iam appareat. Ex ijs ſatis perſpicuum eſſe opinor, quemadmodum ſyllogiſmo notitia et ſcientia ſyllogiſmi nobis quæri poßit. Quòd autem inquis, iccirco ſyllogiſmi ſcientiam nullam eſſe, quòd ſyllogiſmi utpote compoſiti atque coagmentati ex pluribus rebus nulla diffinitio a nobis tradi poteſt, ſic exiſtimes uelim, non res quæ ſyllogiſmo ſignificantur, quæ ſyllogiſmi materia eſſe cenſentur, in hoc opere tractari, ſed proprietates potiùs communioris ſyllogiſmi, quibus concluſiones neceſſariò colliguntur, ueſtigari: quod perinde eſt, ac ſi dixerimus, id quod notatur nomine ſyllogiſmi, hoc eſt ſyllogiſmi formam, ſiue, ut ita dixerim, ſubſtantiam, hoc loco exquiri: quæ cum unica ſit atque in ſolitudinem uocata, quid prohibet, quominus finiri poſſit? ideoque etiam ſcientia colligi et perſpici a nobis queat?

 912

Quòd ſi de rebus quæ ſyllogiſmo probantur, hoc eſt de materia ſyllogiſmi nobis ſermo habeatur, ſyllogiſmus in hanc ſignificationem acceptus neutiquam diffiniri poteſt, quandoquidem contextus coagmentatusque eiusmodi ſyllo giſmus eſt. Ex ijs ſatis conſtare arbitror, huius, qui huic ſcientiæ uel facultati ſubeſt ſyllogiſmus, notitiam ſcientiamque nos conſequi poſſe, nec minùs eundem ipſum ſyllogiſmum definire nobis integrum eſſe, cuius quidem definitio ab Ariſtotele primo libro priorum analyticorū, atque primo uolumine topicorum exarata eſt. Probata eſt omnibus Academicis Camutij uiri grauiſſimi ſententia, quod cum animaduertiſſet Tonſus reip. moderator optimus, nobis abeundi copiam fecit, atq; in aliam diē diſputationē de materia rhetoricæ et poëticæ artis diſtulit.

FINIS.

MEDIOLANI
Imprimebant Metij fratres.
M D LVIII.



99 951432

Digitized by Google